



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus III. De Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

1. ^a [Innocent.] Ita legitur in tertia collectione, sub tit. de accusat. cap. 7 ex quo textum transcribo; sed legendum est, ut habetur in hac sexta collectione Zamorensi, Segonienfi, & Abulensi Episcopis; nec est cur textus hic tribuatur Honorio III. ut aliqui voluerunt, cum non reperitur in ejus quinta compilatione, & extet in tertia collectione Epistolarum Innocentii III.
- b Zamorensi.] D. Petro videlicet, qui his prioribus annis Innocentii III. floruit: de qua Diocæsi egi in cap. 5. de supplenda neglig.
2. ^c Segonienfi.] D. Petro Michaeli, qui etiam à suis Clericis fuit falsò accusatus, ut refert Ægidius Gonzalez in teatro ipsius Ecclesia, in ejus vita. De hac Ecclesia egi in cap. 6. de integrum restit.
- d Abulensi.] Benedicto I. hujus nominis. De hac Diocæsi egi in dicto cap. 5. de supplenda neglig.
3. ^e Palentino.] D. Alderico videlicet, qui floruit in Ecclesia eximiiis virtutibus præditus usque ad annum 1208. adeoque sanctimoniam claruit, ut in ipsa Ecclesia reverenter serventur sandalia ipsius, cum hoc titulo: Sandalia S. Alderici, ut refert Ægidius Gonzalez in teatro ipsius Ecclesia. De ea Ecclesia egi in p. 6. de in integrum restit.
4. ^f Legion.] D. Petro Munniz, qui postea fuit Compostellanus Præsul; ut in histor. ipsius Ecclesie Compost. refert Ægidius Gonzalez fol. 93. De ea Ecclesia egi in cap. 6. de in integrum restit.
5. ^g Vallebona.] Vallisbona, vulgò Valbuena, Monasterium est Ordinis Cisterciensis in Diocæsi Palentina, sexto lapide ab Urbe Vallis-Oleti, quam fundavit Comitissa Stephania sub cura Episcopi Palentini: ejus originem & progressum refert Marique tom. 2. annal. Cisterc. anno 1151. capite undecimo.
6. ^h Matiplana.] Legendum est Maraplana, quod Monasterium vulgò dictum Marallana, est Ordinis Cisterciensis in Diocæsi Palentina, quinto lapide à Vallis-Olelo, tertio ab Emerita Augu-

sta; vulgò Medina de Rioseco, constructum anno 1171. cujus historiam latè refert Manrique tom. 3. annal. anno 1174. cap. 6.

i Purgaverit.] Convincitur quis de calumnia secundum quosdam eo ipso, quod non probat, quod intendit, ut doceri videtur in cap. calumniator, cap. qui non probat 2. quest. 3. l. 1. Cod. de advocat. divers. judic. l. 3. §. idem Divus, de testibus, l. 1. in fine Cod. de famosis libel. l. si quis ad se, Cod. ad leg. Jul. de vi, l. non ignoret, Cod. de fructibus, & lit. expens. Sed non est ita, quia non protinus calumniari videtur, qui non probat quod intendit; undè ejus rei inquisitio fieri debet, quàm mente ductus ad accusationem processit, & tunc condemnabit eum Jdex, vel absolver, ex traditis proximo commentario. Quatenus autem in præfenti denunciator ob calumniam puniatur, cum regulariter ipse subscribere non teneatur expostui in c. super his, de accusat.

k Prelatorum.] Ideoque licet tantummodo delator esset, punitur ob calumniam. Facit Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 1. variar. epist. 9. ibi: Tutâ est conditio subjectorum, ubi vivitur sub aequitate regnantium; nec dubio decet rumore trahi à quo debent non mutanda constitui; fidem si quidem rerum à ratione colligimus (qua nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigiis perquiratur); atque ideo, quod Beatiudini vestre gravissimum esse confidimus, præfenti tenore declaramus, Augustina Civitatis Episcopum proditoris patriæ falsis criminationibus accusatum: qui à nobis honori pristino restitutus, jus habeat Episcopatus omne quod habuit; nihil enim in tali honore temerariâ cogitatione præsumendum est, ubi si propositio creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem (quidquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur.) Volumus enim impugnatores ejus legitimâ pœnâ percellere: sed quoniam ipsi clericatus nomine fugebantur, ad Sanctitatis Vestre judicium iuncta transmittimus ordinanda, cujus est & aequitatis moribus talibus imponere, quam novimus traditionem Ecclesiasticam esse sto dire.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur.

CAPUT PRIMUM.

^a Gregorius Generali Synodo præfidens.



Ntiquam Patrum Regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex ^b datione pallii, neque ^c ex traditione chartarum, nec ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione ^d pastelli. Quia enim ordinando Episcopo ^e Pontif. manum imponit, Evangelicam verò lectionem Minister legit, confirmationis autem ejus Epistolam ^f Notarius scribit, sicut Pontificem non decet, manum quam imponit vendere, ita Minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, seu chartis,

chartis atq; pastello, eundem qui ordinandus, vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, si quis hiac aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præsumperit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas chartas, & g pallium aliquid cui libet ex Clero gratiæ tantummodo causâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

NOTÆ.

1. a **Gregorius.**] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 1. Gratianus in cap. 3. 1. qu. 2. tribuit textum hunc Urbano, Hallier. de sacris elect. sect. 7. art. 7. §. 5. ait deductum esse ex Synodo Romana celebrata à Gregorio VII. sed verus auctor hujus textus est Gregorius Magnus in Synodo Romana anno 5. Pontificatus ipsius celebrata, tempore Mauricii, Tiberii & Theodosii Imperatorum, ubi can. 5. reperitur textus hic prout eum transcribo ex ipso Concilio. Etiam reperitur inter opera ipsius Gregorii lib. 4. Epist. 44. occasionemque hujus canonis ita narrat Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii lib. 3. c. 5. Cum vero quosdã cognosceret ad evitanda simoniace hæresis crimina pestifera negociationis munera pastellæicum callide vocitasse, ac hujusmodi mutatio nomine suæ cupiditatis avaritiam velle contegere, prudentissimus Doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui Pontificatus coram Synodo promulgaverat, iterato protulit, dicens: Antiquam, &c. Hæc prior Gregorii constitutio extat lib. 4. Registr. epist. 55. & in cap. 3. 100. dist. & juxta eam variis Prælati scripsit idem Gregorius lib. 4. epist. 51. 53. 55. & 56. lib. 5. epist. 1. lib. 7. cap. 5. 113. 114. lib. 9. epist. 40. 51. 54. lib. 11. epist. 46.
2. b **Datione pallii.**] Idem Gregorius lib. 4. epist. 55. ad Joannem Episcopum Corinthiorum, relatus in cap. novii, 100. dist. expressè prohibet, aliquid accipere pro pallio: notavit Coqueus in antimorn. part. 1. ad pag. 31. f. l. 114. Undè cum sanctus Bonifacius in Concilio Liptinensi celebrato anno 743. falso nuntio a cepisset, quod pro palliis concedendis duobus Archiepiscopis Germaniæ pecuniam Zacharias Pontifex accepisset, statim literis suis ipsum Pontificem redarguit simoniacæ labis: sed ei mitissimè respondens Zacharias epist. 8. asserit, nihil tale se cogitasse, cum nec etiam pro ipsis rescriptis, ac diplomatis, quæ ab ejus serinio procederent, contuisset aliquid exigi, quin potius anathematizasse se omnes, quicumque ausi essent donum Spiritus sancti vendere. Refert Baronius dict. anno 741. Leo II. sedens anno 682. constitutionem edidit, quam Anastasius scribit Archivio inclusam esse, ut qui ordinatus esset Archiepiscopus, nihil pro usu pallii perfolveret. Alia tradit Roufféhus lib. 5. hist. Pont. jurisd. cap. 3.
3. c **Traditione chartarum.**] Id est pro expeditione literarum ordinationis, quas Presbyteri à suis ordinatoribus accipiebant, juxta Conc. Afric. c. 89. Deinde placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, per provincias Africanas literas accipiant ab ordinatoribus suis manu eorū subscriptas, continentibus Consulem, & diem, ut nulla alteratio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.
4. d **Pastellis.**] Temporibus Gregorii Magni, cum tot Ecclesiæ legibus, & ab ipso Pontifi e specialiter prohibitum esset pro ordinibus conferendis aliquid ministrum ordinantem ab ordinatis recipere, cœpit introduci consuetudo, ut nomine pa-

stus seu pastelli ordinatores ab ordinandis aliquid exigent: quam consuetudinem simoniæ labem continentem, & ex radice avaritiæ ortam damnavit Gregorius in præfenti canone, & postea eundem morem improbarunt Paschalis in cap. si quis objecerit 10. q. 3. ibi: Ne quis pastum, vel pastellum ante, vel post ordinationem, beneficii iurè Ecclesiastici possessionem solvat Innocentius II in c. final. 1. q. 3. ibi: Nec pro pastu, nec sub obreatu alterius consuetudinis ante, vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ipse ordinatus dare presumat, quoniam simoniacum est. Et ita pastelli appellatione in præfenti comprehenditur omne, quod prætextu pastus ordinator ab ordinato exigat, ut exponunt Hallier. de sacris elect. sect. 7. art. 6. Vossius de viuis sermonum lib. 3. cap. 33. e Pontifex manum imponit.] Raymundus posuit Episcopus, ut ita generalior fieret præfentem prohibitionem ad omnem ordinationem; cum Gregorius ageret tantum de consecratione Episcopi, in qua Pontifex, vel Episcopus consecrator manum imponit super caput consecrandi, ut probant Hallier de sacris elect. cap. 9. §. 3. num. 6. Diana part. 12. de consecrat. Episcoporum. resol. 18. quivarias rationes hujus manus impositionis adducunt, & in ea consistere materiam consecrationis Episcopalis, pluribus relatis post Hilarium defendit Diana ubi supra, resol. 18.

6. f **Vel Notarius.**] Consonant Zacharias supra citatus epist. 8. ibi: Cum nec pro rescriptis, nec diplomatis, quæ ab eius serinio procederent, aliquid exigi consuevisset. Concil. Buiricense can. 3. apud Lemovic. actione 2. ibi: Episcopi de sacris ordinibus manus non accipiant, nec aliquis loco eorum, nec aliquis de subjectis eorum si ut pro scribendis nominibus ordinatorum solebant scriptores pretium accipere. Sed circa notarios literas dimissorias, & testimoniales scribentes, jam communiter placuit distinguendum esse, an salarium habeant publicè constitutum ab Ecclesia seu ab Episcopo, vel nullum salarium habeant. Ut Primo casu nihil recipere possint pro hujusmodi chartis, secundo verò casu saltem per modum stipendii, non pretii (nam actiones istæ, ut potè spiritualibus annexæ, vendi non possunt) moderatam quandam pecuniam summam exigere valent, quam taxarunt Concilia Ravennat. 2. temporibus Clement. V. rubric. 32. ibi: Item cum indebita exactioes à notariis, & sigilliferis Dominorum Episcoporum taxentur, & moderentur in omnibus, præsertim in ordinationibus, ut ultra duos venetos non possint accipere pro scriptura, charta, scheda, cera, & sigillo: & si querela super hoc in medium prodierit, ipse notarius officialis suspendatur in d. Curia Episcopali usq; ad aliud provinciale ab officio suo. Ravennat. 4. sub Joan. XXII. rubric. 24. In Concil. Palentino à Guillelmo A. S. Legato celebrato temporibus Joan. XXII. ibi: Ordinati, si post receptionem ordinis pro scriptura, labore, charta, & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minime prohibetur; ita tamen, quod gratuita oblatio summam quinque maravedinorum usualis moneta aliquatenus non excedat; à pauperibus autem,

rem, aut nihil, aut minus recipiat pro prædictis. Et paulò post: *Nec Notarius seu scriptor quicquam nisi moderatè, exigat pro collationis literis, & sigillo.* Tolet. sub Clem. VI. *tit. de simo.* Tolet. sub Sixto IV. ibi: *Notarii vero pro literis ordinu 10 tantu maraperinos recipere debeant, & si contra fecerint, quod receperint, duplicatum restituant, sequenti Conc. applicandum.* Trid. *sess. 21. de reform. c. 1.* Et ita cum tot Conciliis concessum sit notariis salarium non habentibus aliquid recipere pro prædict. literis, ullam simoniam in tali receptione non committunt. Docuerunt Suarez *lib. 4. de Simonia, to. 1. de Relig. cap. 10.* Binsfeldius in *presenti, q. 1.* Gibal. *de simonia, q. 1. consecr. ar. 12.* qui etiam resolvunt, non teneri Episcopum constituere salarium suo notario, sed posse juxta consuetudinem receptam in ea Diocesi illi permittere prædictum stipendium: & etiam docent, quod quando notarius accipit plus pro testimonialibus Presbyteratus, quam Diaconatus, Simoniam committit. Ratio est, quia tunc taxatur, & venditur dignitas ordinum, quæ vendi, taxari vè non potest; notario verò nihil competit, nisi ratione laboris, qui æqualis est respectu omnium ordinum.

g Pallio. Archiepiscopis tradendo à Pontifice, juxta adducta in *c. x. de auctorit. & usu pallii*; unde deducitur, Romanum Pontificem simoniam committere, si rem spirituales, vel ex sua natura, vel ex divina, aut Ecclesiastica institutione sacram vendat, licet pœnis simoniaci non teneatur, ut probat Gibal. *de simonia, q. 4. consecr. 5.* & distinctione adducta inter casum, in quo simonia committitur à jure divino, & cum tantum à jure Ecclesiastico, exponit Binsfeldius in *presenti, q. 1.*

h Nullo modo prohibemus. Consonat textus in *c. et si quaestio, hoc tit. c. quicquid. q. 1. c. ut culogias, 19. dist. Idem D. Gregor. lib. 4. *regestr. epist. 44.* Concil. Brachar. *2. can. 7.* ubi PP. permittunt, quod parentes infantium baptizandum voluntariè offerant pro suo voto, *c. dilectus 2. de simonia*, ibi: *Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Etcap. tua nos, hoc titulo. Hinc D. Hieron. relatus in *c. judicis, 1. q. 1.* Samuelem, quavis ob acceptum propheticum oraculum Saul illi quartam partè sicuti donaverit, à simoniæ labe excusat, eo quod cum modici valoris esset illa pecunia, in grati animi significationem dari, & in memoriam gratitudinis accipi solum videretur; quæ enim post ordinationem dantur, nullo præcedente pacto, nulla turpi conventionè præmissa, judicium eligentis, seu ordinantis, nullatenus corrumpere poterunt, ideoque gratitudinis, & honorari videntur esse testimonia, non pretii pro ordinatione dati argumenta. Si autem munus quodcumq; ante ordinationem persolvatur, facile simonia præsumitur, quia ut ait Innoc. III. in *c. in tantum, hoc tit.* expressius exprimit venditionis speciem, qui prius recipit pretiù, quam rem conferat pretiosam: quæ suspicio cessat cum post ordinationem modicum munus accipitur. Quam doctrinam confirmat Cyril. Alexand. *lib. 12. de adorat. in spiritu*, qui affectit Sacerdotes nihil accipere debere nisi post Sacramenti collationem. Quod Mosaicæ legis præcepto relato *Levit. c. 7.* significari docet, ut potè quo Sacerdotes non nisi ex reliquiis sacrificii epulari jubebantur, ideoque filii Heli, ut habetur *lib. 1. Reg. cap. 2.* graviter peccasse dicuntur, quòd carnes carperent antequam Domino offerrent. Nec contrarium docuit D. Basil. in epistola canonica ad Episcopos sibi subditos, apud Balsam. & habetur *tom. 2. operum ejus*, ibi: *Quod est eorum artificium, dicam; existimant enim se non peccare, quòd neq; si-**

mul accipiant, sed post ordinationem capiant. Capere autem quòdcumque, est capere. Eadem iisdem ferè verbis habentur in epistola Tharasi Constantinopolitani ad Hadrianum Sum. Pontif. quorum quidem sententiæ de muneribus alicujus momenti videntur mihi intelligendæ. Certum enim est, in praxi valdè differre, post ordinationem, & aliquid ante ordinationem, quòd sit alicujus momenti, accipere; in hoc siquidem simoniæ suspicionem jure fundari, semperque mali speciem delitescere, in illo secus apparet: magni tamen valoris munera, etsi post ordinationem spontè oblata sint, non tamen spontè oblata præsumi, sed suspicionem inducere, quasi antea oblata fuerint, experientia docet. Undè in iis, sive antè, sive post ordinationem dentur, licet quoad rem sit differentia, tamen quoad suspicionem vix aliquam reperiri, verisimile est. Vel etiam dici potè, quòd cum aliquid modicum datur gratuito, attendenda est intentio, an principaliter referatur ad ordinis collationem, ita ut tanquam precium ipsius detur; an verò nullà habità relatione ad ordinationem: nam primo casu simonia committitur, & procedunt Basil. & Tharasi supra relati. Quæ Tharasi auctoritas extat in *c. eos, q. 1. Quare in hac ambiguitate, & ut omnis penitus simoniæ species vitaretur, prohibitum fuit etiam post ordinationem aliquid ab ordinatis recipi, c. si quis objecerit, 1. q. 3. Innoc. II. in Synod. Rom. *can. 2. Conc. Tolet. sub Sixto IV. celebratum anno 1473* ibi: *Ordinationum collatio gratis à Sanctis Episcopis est concedenda, cum præcipuè Ordo sit Sacramentum spirituale. Præcipimus igitur universis Episcopis nostra Provincia, ut pro conferendis ordinibus quibuscumque nihil penitus ante, vel post, seu cum eisdem ordinibus celebrant, exigant, seu recipiant.* Trid. *sess. 25. de reform. c. 1.* prosequuntur Hallierius *de sacris collect. d. scilicet 7. art. 5.* Binsfeld. in *c. et si quaestio, hoc tit.* Gibal. *de Simonia, q. 18. consecr. 2.**

COMMENTARIUM.

Licet in præsentia Epistola agat B. Greg. de consecratione Episcopi, tamen ex ea, prout jacet in hac sexta collectione, DD. deducunt Episcopum nihil pro ordinatione recipere posse, nec ministros aliquid temporale exigere. Sed juxta Gregor. mentem conclusionem ita deducimus: Pro Ordine conferendo minister, vel ejus Notarius nihil temporale exigere possunt. Probat eam textus in *can. 21. aliis 28. Apost. c. qui studet, c. reperuntur*, cum aliis quam plurimis compilatis à Gratian. in *caus. 1. q. 1. c. 1. q. 5. Synod. Nicæna 2. can. 5. Qui donatione auri ordinaverunt in Ecclesia ultimum gradum habeant, & sui ordinis si perseverant, pœnis corrigantur.* Et *can. 19. Episcopus, Præpositus, Clericus vel cessent à simonia in datione ordinum, vel susceptione monachorum, vel deponantur.* Aurel. *2. can. 3. Ne quis Episcopus pro quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus, caterorumq; præsumat Clericorum aliquid accipere, quia Sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi.* Turon. *2. can. ult. Nullus Episcoporum de ordinationibus Clericorum præmia præsumat.* Cabil. sub Carolo, *can. 16. Statuimus, ut sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, & c. Aquigr. 2. sub Ludov. Pio, p. 1. c. 5. ibi: Nullus Episcoporum, vel ministrorum ipsorum deinceps pro distributione sacrorum Ordinum, & c. aliquid exigere præsumat.* Bituric. apud Lemovic. *act. 2. Episcopi de S. Ordibus munus non accipiant.* Picta. vien. *can. 4. Nullus Episcopus pro Sa. Ordibus, vel pro Eccles. benedictionibus munus accipiat.* Brachar. *2. can.*

9.
Conclu-
sio tra-
ditur, &
reba-
tur.

2. can. 3. De ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant. Brachinon. 2. can. 1. Tolet. 6. can. 4. Brachar. 3. can. 7. Feroiul. can. 9. Meldense can. 45. Tolet. 8. can. 3. Urbanus II. in Concil. Placent. can. 8. Synodus. Rom. sub Gregor. II. Synodus Rom. sub Nicolao II. Synod. Rom. sub Innoc. II. sexta Synodus Trul. can. 6. quorum canonum, & aliorum verba refert Ant. Aug. lib. 4. tit. 52. & lib. 6. tit. 47. & 48. & lib. 8. tit. 36. & lib. 28. tit. 31. Salegustad. can. 3. Item in Episc. de S. Ordinibus munus non accipiant, neq; aliquis de subiectis eorum, sicut pro scribendis nominibus ordinandorum solebant scriptores pretium accipere. Colonienf. anno 1536. cap. 28. Nolumus, ut ab inicitariis quidquam, vel sigilli nomine à Vicariis nostris in Pontificalibus exigatur; sed tantum scribarum literarum, que formate appellantur, unus albus solvatur. Roman. sub Benedic. quod edidit Petrus Balluzius ad P. Marcham. lib. 6. cap. 10. Gennadius in epist. missa ad omnes Metropol. Quem refert Quintanadvennas Eccles. lib. 2. n. 20. Consonat Trid. sess. 25. de reform. c. 1. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præfenti, & Summistas verbo *Simonia*, Binsfeld. ad hunc textum, Decianus lib. 5. tract. crim. c. 85. Hunnius in encyclop. can. tit. 4. Crefolius lib. 4. mystag. c. 32. sect. 2. Mancinus dissert. 28. Balsamon. in nomocan. 11. 27. & 34. Roussel. lib. 5. hist. jur. Pontif. c. 4. Lemaitre de juribus Episcoporum. lib. 2. c. 6. Araujo in qq. moral. disp. 14. per totam. Hallierius de sacris elect. sect. 7. art. 7. Fragofo de regimine, p. 1. lib. 2. disp. 4. §. 23. Scottia in select. epist. theore. 84. Barb. lib. 1. juris Eccles. c. 33. n. 199. Vighel in method. jur. can. fol. 108. Victoria in relect. de simonia, Gibalinus eod. tract. 9. 6. consecr. 17. Lantdmeter de veteri Monacho, lib. 2. c. 32. & 33. Petrus Greg. lib. 1. parit. tit. 3. c. 5. Duarenus de sac. Eccles. lib. 6. c. 2. P. Marcha lib. 6. concord. c. 10.

10.
Tradi-
tur du-
bitandi
ratio.

Sed hæc assertio difficilis redditur ex praxi Ecclesie recepta, moribusque jam diu usitatis, tam in consecratione Pontificis, quam in Episcoporum consecratione. Nam constat jam ante tempora D. Gregorii Imperatores à Summo Pontifice auri aliquam summam pro confirmatione electionis diutius exegisse, nec summum Pontificem prius ordinari, quam pecuniam persolveret. sic Agathusa, 63. distinct. & eam pecuniam persolvit sanctum Gregorium pro sua ordinatione, refert Joannes Diaconus in vita ipsius Gregorii, lib. 1. impleque Gregorius exponens Psalmum 4. Pœnit. idem narrat. Quæ consuetudo diutius duravit in Imperio Orientali; nam Imperatoribus Græcis mos erat ut Patriarchas vel ipsi eligerent, vel saltem ex tribus electis, quem vellent aliis præferrent, qui honorati seu tributum aliquod pro institutione sua petebat, ut referunt Cantacucenus lib. 4. hist. cap. 37. Codinus de offic. domus August. cap. 20. quod tributum genus Turcæ prosequuti fuerunt, à Patriarchis exigentes duplicem pensitationem: primam appellant *Pescesion*, quam pro sacerdotio ineundo Patriarcha pendit; alteram dicunt *Characion*, quam singulis annis Imperatori solvunt. Utriusque tributum meminerunt Zigomalas in Turco-Gre chron. Constantin. Malaxias in hist. Patriarch. C. P. Et cum tributum characion esset tantum bis mille ducatorum, auctum est subinde Patriarcharum ambitione Sul. & quatuor mille ducatorum, ut referunt Græcis historicis Hallierius de sacris elect. sect. 7. art. 3. Lemaitre de juribus Episcopis lib. 2. cap. 5. Etiam Imperatores à novis Episcopis pecunias exegisse pro confirmatione. seu inauguratione, legimus: quare Anastasio Synaitæ

inensum fuisse Justinum, eo quod pecuniam non luisse præstare nomine dignitatis recenter acquisitæ, narrat Euagrius lib. 5. cap. 5. Et pro electione S. Galli Aruernos ad Regem Theodorium munera pro confirmatione electionis derulisse, tanquam rem vulgo usitatam, narrat Gregor. Turon. de vitis Patrum, cap. 6. Et avo Justiniani invaluerat consuetudo, quam ipse Princeps in novella 123. cap. 3. confirmat, ut Episcopi pro inthronizatione sua certam pecuniæ summam darent: quod explicat P. Marcha lib. 6. concord. c. 10. Ergo alienum non est à disciplina ecclesiastica pecuniam pendere pro inauguratione, seu consecratione ministrorum Ecclesie. Accedit, nam Curia Romana debet esse cæterarum inferiorum exemplar, cap. in causis, de re judic. cap. significasti, de elect. Sed in ea magna argenti summa penditur pro confirmatione Episcoporum, ut late probant Roussel lib. 5. hist. Pontif. jurisdict. cap. 4. P. Marcha d. cap. 10. & pro vitanda frequenti Episcoporum translatione Magno nostro Monarchæ fusè proposuit Magister Fr. Joannes Martinez discurs. 1. polit. moral. Ergo & in aliis Curis Episcoporum licite pecunia exigitur pro ordinatione, aut literis dimissoris, seu testimonialibus, à notariis Episcoporum, ad exemplum Abbreviatorum, & Plumbatorum Curie Romanæ.

Quæ dubitandi ratio ita fulcitur non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, Simonem Magum primum hæreticum, non solum se Deum esse assertuisse, & ita Romanam Civitatem seduxisset adeo, ut Imperator Claudius ei statuam erexisset in anne Tybris, inter duos portes, cum hac inscriptione, *Simoni Deo Sancto*, ut referunt Justinus Martyr apolog. 2. Aloix in vita ipsius Sancti, cap. 5. Tertull. in apolog. verum & animum habuisse emendi donum conferendi Spiritum sanctum à D. Petro, id est sacram ordinationem, ut ipse aliis eam venderet, credens pecuniâ donum Dei possideri posse, ut refertur Actuum Apost. cap. 8. & exprellit Cassiodorus lib. 9. variat. cap. 15. ibi: *Recolatur, & timetur Simonis justa damnatio: qui emendum credit totius largitatis auctorem.* Unde tale crimen perpetrantes Simoniaci, tanquam Simonis discipuli, dicti fuerunt, cap. qui frudet, cap. Salvator, cap. repertiuntur 1. q. 7. c. quidam, §. Simoniaci, 2. q. 1. tit. 27. part. 1. docuerunt D. Ambrosius de pœnit. c. 4. D. Thomas 2. 2. q. 100. & in 4. dist. 25. & quodlibet, 2. & 18. Redoanus de simonia, 1. part. q. 1. Lessius de iust. lib. 2. c. 35. Suarez de relig. 10. 1. tract. 4. de simon. cap. 51. omnes Summistæ verbo *Simonia*, Araujo in qq. moral. disp. 4. part. 2. art. 1. Nam licet antè ipsum Balaam suas locaverit operas, ut populum Dei benediceret, Num. cap. 21. & referunt in cap. sicut 3. 2. qu. 7. & sacra pagina lib. 4. Regum, cap. 5. refer Giezi à Naam Principe Assyriorum, quem Eliseus à lepra mundaverat, duo talenta accepisse: & de Jeroboam lib. 3. Regum, c. 14. scribitur, quod quicumque implebat manum suam, fiebat Sacerdos; & quod propter hanc causam peccavit domus Jeroboam: & eversa est, & deleta de superficie terræ: & similiter de Jafone refertur lib. 2. Machab. cap. 4. Onia summi Pontificis fratre, quod Antiochum Regem adiit, eique argenti trecenta sexaginta talenta, ut summum adipsi referretur Sacerdotium, promisit; tamen à Simone simonia nomen accepit: tum quia illi verè simoniaci non fuerunt, ut probat Gibalinus de simonia q. 6. consecr. 4. & 16. tum quia ipse Simon non solum emere, verum & vendere gratiam Spiritus sancti intendebat, ut late probat Patet

11.
Simonia
Etymon.

Pater Suarez ubi supra; & qui ipse adhuc neophytus, statim ac baptizatus fuit à Philippo Diacono in Samaria, donum Spiritus sancti emere proposuit, idè & simoniaci neophyti dicuntur, cap. quisquis, 5. quest. 1. prosequuntur latius simoniae etymologiam Binsfeldius in praesenti rubric. & Suarez ubi supra, Lotharius de re benefice. lib. 3. 9. 29. & lib. 4. 9. 1. n. 3.

11.
Simonia
gravi-
tas.

Deinde sciendum est, simoniam ob ejus gravitatem variis nominibus à sanctis Patribus appellari: dicitur absolutè labe, cap. sicut, cap. tanta, hoc titul. cujus vocis rationem illustrat Petrus Andreas Gamaro in extravag. Julii VI. numer. 177. tom. 5. repetit. lepra in cap. cum ordinarentur 11. quest. 1. peculiare flagitium in cap. quisquis, ead. quest. vulnus cancerolum in cap. reperiantur 1. quest. 1. sacrilegium in cap. 1. 1. quest. 3. cum reverà sit prophanatio rei sacrae per voluntariam commutationem, ut explicat Gibalin. de simon. quest. 4. consecr. 1. rabies in cap. 3. hoc titul. horribile crimen in cap. in Ecclesia, hoc titul. & haeresis; ac simoniaci haeretici dicuntur in cap. Presbyter 1. quest. 1. quod malè ex registro sancti Gregorii citat Gratianus, cum in eo non reperitur, sed apud Gregorium VII. lib. 6. registr. in indice Concilii tunc habiti, in cap. liqueat 13. cap. 21. & 107. 1. quest. 1. cap. 3. & final. 1. quest. 7. Concil. Meld. can. 42. Turonense sub Carolo, can. 15. Rhenense can. 21. Mogunt. sub Rabano can. 12. Mogunt. sub Arnulfo can. 6. non ut docet Gerson tract. de simon. consider. 7. quia simoniaca labe per se fit haeresis; nam consistit aliquem esse simoniacum ex sola depravatione affectus per avaritiam, remanente iudicio recto intellectu; sed praesumptione juris, vel operis, quia cum putent spiritualia esse venalia, in fide suspecti habentur, ut explicat Hallier. d. sect. 7. art. 2. §. 2. Menochius lib. 5. de praesumptionibus, praesumpt. 7. num. 30. Simanchas de Catholicis, titul. 37. Sotus lib. 5. de just. quest. 9. art. 1. quia perinde gerunt, ac si de fide malè sentirent, ut animadvertit D. Gregorius lib. 9. epist. 53. ad Theodoric. Regem. Nec solum haeresim simoniam esse, verum & damnabiliorè haeresim quam haeresim Macedoniam, dixit Tharafius relatus in cap. eos 1. quest. 1. explicat Div. Thomas dict. quest. 100. art. 1. ad 1. & haeresim, reterimamque esse docet Gofridus Vindocinensis in opuscul. de simonia, & omnium haeresion prodromam esse, docet Gregorius VII. lib. 11. epist. 34. ibi: *Hanc haeresim ante omnes alias, radice pestiferà in Ecclesiam irrepsisse, atque in ipso portu Apostolico, maledictionis telo esse damnatam.* Et idololatriam simoniam esse docuit Gregorius noster lib. 9. epist. 53. rationem reddens his verbis: *Cum enim omnis avaritia idolorum sit servitium, quisquis hanc, & maxime in dandis ecclesiasticis honoribus, vigilanter non praecavet, infidelitatis prodromi subicitur, etiam si tenere fidem, quam negligit, videatur.* Tandem simoniam crimen esse omnibus majus, dixerunt Paschalis II. in cap. final. 1. quest. ult. ibi: *Simoniaci primi, & praecipui sunt haeretici, omnia etiam crimina ad comparationem simoniaca haeresis, quasi pro nihilo repulantur.* Lucius III. in cap. simoniaca. Innoc. III. in cap. per tuas, hoc titul. cujus dicti ratio peti potest ex D. Ambrosio relato in cap. citò 1. quest. 1. & explicat Hallier. dict. sect. 7. art. 2. & quia peccatum hoc propriè est contra Spiritum sanctum, hinc refert Petrus Damianus epist. 1. cap. 7. simoniacum quendam scelus suum parvipendentem, justum pronunciare D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

dorologiam sanctae Trinitatis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, nequivisse dicere, & *Spiritu sancto*, sed tantum, *Gloria Patri & Filio*, etiam si secundo; & tertio idem iterando conatus fuisset addere, & *Spiritu sancto*; sed frustra. Nam ut subjicit Damianus: *Merito Spiritum sanctum dum emis, amisti, ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingua.* Hinc rursus Henric. II. Imperator anno Domini 1047. ob simoniae labem ab Spiritu sancto desertus, professus est se toto triduo daemones infestos vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes adeo pertinacem, ut noster ignis in comparatione illius jocus putetur, & nihil calere; sed liberatum fuisse à juvene semiustulato, scilicet à sancto Laurentio, cujus Ecclesiam restauraverat. Ita ex Willelmo Malmesburienfi, & Matthæo Westmonasteriensiferet Baronius tom. 11. anno Christi 1047. & 1063. quae & alia horribilia exempla refert Willaroel. p. 1. regim. Eccles. question. 1. art. 13. Beyerlinch. in theatro, verbo Simonia: & latè gravitatem simoniae expendit Theophilus tom. 12. tract. mala è bonis Eccles. lib. 2. sect. 1. cap. 3. per totum.

Deinceps sciendum est, simoniam variè definiri ab Interpretibus: ea tamen receptior, communiorque definitio est, ut simonia sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quam sequuntur Theologi scholastici cum D. Thoma in 4. dist. 25. Decretista in causa 1. pluribus relatis Binsfeldius in praesenti rubric. notabili 7. Gibalinus de simon. q. 1. Conradus Cling. lib. 3. disput. cap. 49. Redoanus eod. tract. 1. p. cap. 2. & probari videtur ex l. 1. tit. 17. part. 1. ubi Gregorius verbo *voluntas, cap. quicumque studet, cap. qui studet 1. quest. 1.* sed adversus eam nonnulla praecipit Marianus Socinus, illud praecipue, quod in ea solum mentalis simonia videatur definiri, quae poenis Ecclesiae non punitur, ut dicemus infra in cap. final. hoc titul. Nec etiam voluntas emendi spirituale dicitur simonia, sed voluntas simoniaca: & tandem quia caetera crimina non definiuntur per verba *studiosa voluntas*: quare Glossa in dict. cap. quicumque, cap. qui studet, praedictae definitioni addebat, *cum effectu*, ut sic actualem simoniam comprehenderet. Alii addunt, *opere subsequente*, ut Abbas in cap. nemo, hoc titul. Hostiensis in cap. tuas nos, hoc titul. Henricus in cap. final. hoc titul. Richardus in 4. dist. 25. quest. 1. Sed huic sententiae repugnant illa verba, *studiosa voluntas*, unde Palacios lib. 2. de contract. cap. 7. simoniam definit, ut sit commutatio rei spiritualis pro temporalis. Sed adhuc defendenda est communis definitio, nec per illa verba, *studiosa voluntas*, simonia mentalis definitur, ut vulgò receptum est, sed actualis etiam, quae per dationem rei temporalis pro spirituali, vel econtra committitur; quia ut docet D. Thomas dict. quest. 100. art. 1. quem sequitur Sotus lib. 9. de justitia, quest. 3. art. 2. tribus rationibus spiritualia emi, nec vendi possunt. Prima, quia nullo pretio aestimari valent: secunda, quia nemo etiam Pontifex est illorum Dominus, sed tantum dispensator, juxta D. Paulum ad Corinth. cap. 4. tertia, quia talis venditio spiritualium natura repugnat, juxta illud D. Matthæi capite 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Unde jure civili similia rerum nulla est emptio, ex leg. sed & Celsus, leg. hanc legem,

13.
Simonia
defini-
tio.

legem, ff. de contrabenda emption. nam cum in nullius bonis sint, earum rerum nullum est commercium, l. in tantum, §. sacra, ff. de rerum divis. l. inter 83 §. sacram, ff. de V. O. Quare quantumvis ille, qui pretium dat pro rebus spiritualibus, studiosè eas emere procuret; tamen verè eas non emit; quia cum earum nullum sit commercium, nulla item est emptio, nec venditio, quia materia non est vendibilis, & ea ratione simonia actualis, quæ dato pretio committitur, non definitur ut sit emptio, vel venditio rei spiritualis, sed studiosa voluntas emendi, vel vendendi; quia per pretium studiosè procuratur aliquid emi; verè tamen nihil emitur: quod apertè colligitur ex d. cap. quicumque, d. cap. qui studet, in quibus verè agitur de simonia actuali, cum in eis imponatur pœna in foro exteriori; & tamen dicitur, quod pretii datione non emunt, sed student emere. Quod & satis innunt textus in d. cap. reperiuntur, ead. quest. ibi: *Mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum vile pretium donant: & cap. si quis Episcopus, ibi: Gratiam, quæ vendi non potest.* Ex quibus patet, illa verba, studiosa voluntas, aliter accipienda esse, quam existimant DD. communiter, quos refert & sequitur Navarrus in manuali, cap. 23. num. 100.

14.
Expli-
catur
dicta
definitio

Dicitur etiam in dicta definitione, aliquid spirituale, vel spirituali annexum: pro quorum verborum explicatione præmittendum est, nomen hoc, Spiritus, propriè significare anhelitum, id est aerem ipsum, quem spirando attrahimus. Cicero lib. 2. de natura Deorum, ibi: *Tribus rebus animalium vita continetur, cibo, potione, & Spiritu.* Significat etiam ventum, juxta illud Virgilii *Æneid.* 12.

*Ac velut Edoni Borea cum Spiritus alto
Insonat Aegeo.*

Sed quia & ventus, & anhelitus subtilia quædam corpora sunt, & invisibilia, translatum fuit nomen ab scriptoribus ecclesiasticis ad significandas res omnino incorporeas, ut Deus, Anima, & Angelus; & etiam illa, quæ illis accedunt, ut virtutes, & scientiæ. Hæc verò spiritualia quædam procedunt ab spiritu creato, pro ut sunt scientiæ acquirunt, & virtutes, quæ parantur raro studio, atque labore. Quædam procedunt ab spiritu increato, ut gratia gratum faciens, & virtutes infusæ, quæ supernaturaliter à nobis acquiruntur; & reliqua omnia, quæ ad salutem animarum supernaturaliter sunt instituta, vel ab ipso Deo, vel ab Ecclesia per potestatem sibi à Christo datam, ut optimè explicavit Navarrus in manuali, cap. 23. num. 99. Hæc verò spiritualia quædam sunt per essentiam, ut gratia, virtutes, & gratia Spiritus sancti: quædam per causam, ut sacramenta Ecclesiæ, quæ efficiunt, & causant gratiam; quædam sunt spiritualia per effectum, ut sunt Sacramentorum administrationes, divinorum officiorum celebratio, donum prophetiæ, & miraculorum; quia descendunt ex gratia, vel ad illam disponunt. Alia verò sunt spiritualibus annexa; quod etiam dupliciter contingit, vel antecedenter, vel consequenter: antecedenter sunt Ecclesiæ altaria, vestes, & cætera ornamenta, & jus patronatus; quæ omnia antecedunt Sacramentorum administrationem, & divinorum celebrationem, & ad illa ordinantur, consequenter verò spiritualibus annexa illa dicuntur, quæ spiritualia præsupponunt, & ab illis dependent, ut beneficia, & decimæ, & alia, quæ sequuntur vel ex potestate or-

dinis, vel jurisdictionis, ad quæ principia reducenda sunt quæ latè docent D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. Aragon in ead. quest. art. 1. Tiber Decianus tom. 1. tract. crimin. lib. 5. cap. 79. Redoanus de simon. 3. p. q. 13. Gibalinus eod. tract. q. 3. Binseldius in præsentibus rubric. notabil. 7.

Rursus sciendum est, simoniam committi in emptione rei spiritualis supernaturalis, procedentis ab Spiritu increato, pro ut sunt dona Spiritus sancti, & similia supra relata, quæ & referuntur à D. Paulo ad Corinth. cap. 12. & ad Ephesios cap. 4. de his enim agens Christus Dominus Matthei cap. 10. dixit: *Gratias accepistis, gratis date.* Committitur etiam in emptione eorum, quæ spectant ad animæ salutem, licet ab Ecclesia jure humano fuerint statuta, quia illa omnia vel sunt spiritualia, vel supernaturalia, vel eis annexa, juxta tradita supra à Soto & Aragon. Committitur etiam simonia in baptismo, cap. etiam corde, cap. non nocet, cap. emendari 1. q. 1. in Sacramento Pœnitentiæ, cap. remissionem 1. q. 1. cap. nemo, infra hoc titul. in Eucharistia, cap. nullus 1. q. 1. si pretium detur pro christinate, cap. dictum est, cad. quest. 1. cap. ea quæ, cap. ad nostram, cap. in tantum, hoc titul. pro dedicandis Ecclesiis, cap. statutus 106. 1. quest. 1. pro consecratione Ecclesiarum, cap. placuit 1. q. 1. cap. cum sit Romana, hoc titul. pro altaribus dedicandis, cap. altare 1. q. 3. pro beneficiis consequendis, cap. si quis præbendam 1. q. 3. cap. cum essent 12. cap. querelam 15. hoc titul. pro aliis honoribus ecclesiasticis assequendis, cap. cum omnis 20. 1. quest. 1. pro exercendo quocunque ministro ecclesiastico, cap. quam pro 1. quest. 2. cap. ad nostram 21. hoc titul. pro oleo sancto, cap. si quis 1. quest. 1. pro quacunque resacra, cap. si quis constituit 1. q. 1. pro ingressu monasterii, cap. nullus Abbas 1. q. 2. cap. non satis 8. cap. quoniam 40. hoc tit. pro sepultura, cap. cum Ecclesia, hoc titul. pro exequiis defunctorum, cap. ad Apostolicam, hoc tit. pro benedictionibus nubentium, cap. suam, hoc titul. pro absolutione excommunicati, cap. ad aures 24. hoc titul. pro reconciliatione pœnitentis, aut regendo peccatore, cap. nemo, hoc titul. pro jure patronatus, cap. præterea, de transact. cap. veniens 10. de testibus: pro præsentatione ad beneficium, cap. ex tua, hoc titul. de quibus omnibus suis locis agemus, quia in præsentibus tantum damnatur simonia, quæ committitur circa ordinationem, seu consecrationem ministrorum Ecclesiæ. Impropiè etiam alia bona censentur simonia materia, ut justitia, cujus venditionem Petrus Blefensis episcopus & Petrus Damianus opuscul. 35. cap. 4. infimulant simonia; & quidem propriè dictæ, juxta Buseum, ad eam Blefens. episcopi. sed malè, ut docuit Theoph. tract. mala è bonis, lib. 2. sect. 1. cap. 1.

Unde apparet ratio præsentis assertiois; nam cum pro eis, quæ data sunt, ut gratis dentur, non possit aliquid exigi, & spiritualis potestas ratione ordinis competens ordinatoribus illis data sit, ut gratis conferant, non possunt pro ordinatione aliquid pretio æstimabile exigere. Unde in simonia commissa pro collatione ordinum peccatur contra religionem, justitiam, & pietatem; religio enim violatur tum contemptu divini numinis, cujus majestas contemnitur, cum non meliores, qui ei gratissimi sunt, seu opulentiores in sacerdotibus ordinantur; cujus cultus negligitur, quoties ad eum procurandum non aptiores eliguntur, sed qui pecuniam offerunt: tum etiam clericali statui, cui

randi ratio.

qui iniuria inferitur, cum pecunia ejus gradus estimatur: nam quis non vile putet esse quod venditur? inquit Hormisdas in *epist. ad Episcopos Hispania, cap. 2.* Justitiae etiam ordinario simonica ca opponitur: tum, quod turpi ista sacrarum ordinationum nundinatione doctiores, ac sanctioribus, i qui dignitatum minus cupidi esse solent, in doctioribus, ac minus probis ad eas convolantibus, ecclesiasticarum sanctionum, officiorumque distributione, quae secundum justitiae distributivae leges sapientioribus, ac melioribus debentur, soleant praetermitti: tum quod iniquum sit, & contra justitiae commutativae regulas, ut proximè dicebam, pretio commutare, quod pretio commutari non potest; & vendere, quod gratis acceptum est, contra illud Christi Domini praecipuum, *gratis accepistis, gratis date.* Quod ita ad rem expendit Gennadius in *epist. encyclica*, ita latine versà: *A me, inquit, accepistis dignitatem sacerdotii, si mihi pro ipso parum quid, vel magnum solvistis, & hoc à me venditum est, hoc quoque ipsum aliis vendite, sin autem gratis accepistis, vos quoque gratis date.* Tandem simonia in ordinatione ministrorum Ecclesiae repugnat pietati, quia talis ordinatio offenderet piorum animos, & pauperes à sacramentorum perceptione retraheret, quod observat Gelasius in *epist. 1. ad Episcopos Lucania, cap. 7.* adeoque abhorruit Ecclesia ordinationes simoniacas, ut cautè ejus constitutiones legi debeant, cum in eis videatur doceri, similes ordinationes nullas esse. D. Gregorius *lib. 7. epist. 12. ibi: Quicumque studet per pretii ordinationem sacrum ordinem suscipere, sacerdos non est, sed inaniter tantummodo dici concupiscit.* Paschalis II *epist. ad Mediolan.* cujus verba perperam Gratianus tribuit in *cap. quicumque 1. q. 1. D. Ambrosio in cap. cum ordinaretur, ead. caus. & quest.* qui omnes PP. accipiendi sunt de ordinatione nulla quoad exercitium, non verò quoad effectum characteris. Apud Gentiles verò usum inolevisse dandi aliquid pro sacerdotio, constat ex *l. 1. §. sed an id, ff. de collat. bonor. l. 1. ff. de pollicit. l. 1. vers. Non tamen, de extra ordin. cognit. l. 1. §. 1. ff. ad leg. Jul. de ambitu.*

ab hac pensatione per Constantinum Pogonatum exempta est, quamvis nec tunc quidem jus confirmandi Romanum Pontificem Imperator remisit; sed postea Benedicto II. omninò cessit, & illam exactionem ut simoniacam accusavit Gregorius Magnus in *Psalm. 4. penitent.* & ita tam ipse, quam ejus praedecessores renuenter persolvebant, in justam vexationem redimentes, nec emebant dignitatem, sed moram suae consecrationis Ecclesiae nocivam datà pecunià redimebant, ut ita Imperatoriam gratiam sibi conciliarent. Sic etiam alii Episcopi, qui propriis Principibus aliquam pecuniæ summam tempore suae consecrationis persolvebant, coacti, & inviti eam pendebant, ut ita confirmationem juxta eorum temporum corruptelam impetrarent; & illam improbam consuetudinem damnari in praesenti docet P. Marcha *cap. 10.* Nec obstat, quod de stilo Curiae Romanae expegebamus; nam ommissis Redoano de *simonia 1. p. cap. 20. n. 2.* Garanna eodem tract. qui asserunt praesentem prohibitionem non exigendialiquid à notariis pro chartis, litterisve dimissoriis, seu testimonialibus, tantum à jure positivo provenire, & ideo locum non habere in Curia Romana; cum R. Pontifex sit supra jus positivum; sicut receptum est, legem Juliam de ambitu locum non habere in Curia Principis, quo modo ipsi accipiunt legem *1. ff. ad leg. Jul. de ambitu.* dicendum est, notarios, abbreviatores, & plumbatores pro stipendio proprii laboris pecuniam exigere, non pro pretio ipsius confirmationis, ut latius profequitur Roussetius *dict. cap. 5. per totum*, ubi de annatarum, & similibus praestationum origine agit.

Sed superiori assertioni opponi potest textus in *cap. constitutum, de relig. domib.* ubi certa pensio annuatim persolvenda promissa fuit à quibusdam monachis pro ordinibus recipiendis: ergo quia in Sacramento Ordinis intervenire potest nummaria praestatio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu pensionem non fuisse promissam à monachis proprio Episcopo pro ordinibus recipiendis, sed in recognitionem subjectionis, ut liceret à quocunque Antistite catholico ordines recipere; quae conventio auctoritate Sedis Apostolicae fuit confirmata, aliàs nulla esset, ut probavit in *cap. final. de pactis*, ubi alia, quae ad ejus textus expositionem spectant, adduxi.

18. Exponitur cap. constitutum de relig. Dom.

17. Difficultas dubi- Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam pecuniam illam Pontifex Imperatori solvebat coactus, non verò voluntariè, donec texto sacralo Ecclesiae, postulante Agathone Ecclesia Romana

CAPUT III.

Ex Concilio a Magunt.

Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur, quod contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium Presbyterum legitime ad Ecclesiam ordinatum, per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit: quod vitium latè diffusum, summo studio emendandum est. Itaque interdendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero praesumat dare Ecclesiam sine licentia & b consensu Episcopi sui.

NOTÆ.

1. a Magunt.] Ex Concilio Maguntino, seu Magontinensi citatur canon hic à Burchardo *lib. 3. Decreti, cap. 110.* Ivone *p. 3. cap. 86.* Papiensi in *1. collect. sub hoc tit. cap. 2.* & extat ferè eisdem verbis in Concilio Mogunt. sub Rabano *can. 12.* Mogunt. sub Arnulfo *can. 5.* sub Carolo *can. 15.* ex quibus illum transcribo. Ita autem repetita fuit eadem sanctio in tribus Conciliis, D. D. Genzal. in *Decretal. Tom. V.*

quia his temporibus inoleverat in Gallia magna corruptela circa beneficia ecclesiastica, quae laici, praecipue potentiores, ut Duces, Comitesque, propria auctoritate conferebant, & plerunque auferrebant, ut aliis conferrent, ut constat ex Concilio Maguntino sub Arnulfo, *cap. 29.* ibi: *Ut laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, nec constituent sine consensu Episcoporum suorum.* Concil. Cabilon. *can. 42.* ibi: *Inventum est, quod multi*

G 2 arbitrii

arbitrii sui remeritate, & quod est gravius ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt: unde oportet, ut canonicam regulam servata, nullus absque consensu Episcopi cuiuslibet Presbytero Ecclesiam det, quam si iuste adeptus fuerit, hanc nisi culpa gravi, & coram Episcopo canonicam severitate amittat. Concil. Mogunt. can. 30. *Ut nullus omnino munera exigat à Presbyteris propter commendationem Ecclesie.* Rothomag. can. 5. ibi Sancitum est, atque omnimodis prohibitum, ut si quis Presbyter inventus fuerit alicui clerico, aut laico munera dare, aut de-

dise, aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius Presbyteri Ecclesiam surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, seu rapina, seu presumptione turpis lucri gratia, deiciatur à Clero, & alienus existat à Clero. De qua corruptela accipendi sunt PP. in presenti, dum ajunt, vitium hoc late diffusum summo studio emendandum esse, & ita repetitis legibus huiusmodi abufum improbarunt, damnaruntque. Commentarium huius textus dabimus infra in cap. 13.

b *Consensu Episcopi*] Juxta tradita supra in cap. 4. de jure patron.

CAPUT III.

a Deodatus Papa.

SIDominus, & Magister omnium, qui sine peccato fuit, accusandi licentiam b uni dedit, quanto magis unius assertione convincendus est, qui simoniæ labe dignoscitur esse pollutus: non igitur & in tali negotio quilibet catholicus est respuendus, sed ut veritatem asserat, ad pellendam simoniacam rabiem magnis precibus exorandus est.

NOTÆ.

1. a **D**Eeodatus.] Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc titul. cap. 3. Glossa marginalis legit Adeodatus; in nullius tamen epistolis reperitur textus hic; nam Adeodatus Monachus D. Benedicti electus Summus Pontifex die 9. Aprilis anno 669. unam tantum epistolam pro privilegiis Abbatie S. Martini Turonensis scripsit, quam referunt Baronius tom. 8. d. anno 669. Binius tom. 4. Concil. pag. 813. in quibus epistolis jam excusis non extant verba huius textus: quare existimabam textum hunc, & textum in cap. sequenti, & in cap. tanta, hoc titul. transcriptos fuisse ex Decreto, quod ex diversis canonibus, & SS. PP. sententiis edidit Cardinalis Deusdedit tituli Apostolorum in Eudogia: in quo librum contra invasores, & simoniacos compilavit, ut referunt Baronius tom. 1. anno 187. Antonius Aug. tom. 2. epim. juris Pont. in irael. de collectoribus canonum. Unde credo ex eo decreto Cardinalis Deusdedit transcriptum fuisse textum hunc; & cum ipso decreto careamus, cognosci nequit, ex quo Concilio, aut Ecclesie Patre verba hæc compilasset ipse Cardinalis.

2. b *Uni dedit.*] *Uni dedit* legit Antonius Aug. quod contigit dum Dominus dixit ad Judæos: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et dum post aliam patientissimè acceptam dixit: *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo*, ut referatur cap. 15. *Matthæi*, cap. 18. *Ioannis*, vers. 18. quo argumento ad idem probandum usus fuit Gratianus in cap. nos. *Secce* 2. q. 7.

COMMENTARIUM.

3. **C**Um quaesitum esset à Romano Pontifice, an quilibet Catholicus admittendus esset ad ac-

cusationem simoniaci, respondit, quemlibet admittendum esse. Cujus responsi ratio provenit ex gravitate huius delicti, ob eum enim atrocitatem non proceditur in ejus punitione, juxta juris ordinem in aliis delictis servatum; quia in hoc proceditur ad instar publici delicti, & læsæ majestatis, ex constitutione Leonis, & Anthemii in l. si quemadmodum, Cod. de Episc. & cler. cap. san. 25. quæst. 5. Facit textus in cap. per tuas, hoc titul. Unde cum ex legibus civilibus in ordinario crimine persequendo servi adversus Dominum non audiuntur, nec ut accusatores, nec ut testes, l. 20. l. ult. C. de his qui accusare, l. 3. 8. & 12. ff. de testibus; tamen quia in crimine læsæ majestatis ad accusandum & testificandum contra Dominos admittuntur, d. l. 20. l. 2. ff. ad leg. Jul. majest. etiam in crimine simoniæ detegendo admittuntur, cap. tanta, hoc titul. Carnotensis epist. 27. ubi de simoniacis agens ait: *Ad insimulationem talium etiam infames persona admittuntur.* Similiter licet mulieres, & infames ab accusatione arceantur, l. 4. & 8. ff. de accusat. l. 1. l. 15. C. qui accusare; tamen quia in crimine læsæ majestatis admittuntur, l. 7. §. 1. l. 8. ff. ad leg. Jul. majest. l. 4. C. eod. etiam in crimine simoniæ admittuntur, d. cap. tanta, cap. si Dominus, cap. licet Helis, hoc tit. probat Hallier. de sacris elect. sect. 7. cap. 1. §. 4. fol. 271. & ita rectè in presenti docetur, quemlibet Catholicum admitti ad detegendum simoniæ crimen. Judæi autem, & hæretici non admittuntur nisi simonia habeat adjunctam hæresim; ita quod simoniacus crederet cum pertinacia spiritus impia, aut spiritualibus annexa posse comparari, aut pretio acquiri; nam tunc etiam quicatholici non sunt, admittuntur ut accusatores, velut testes, argumento capitis contra, de hæretic. in 6. docet Binfelius in presenti, num. 2.

CAPUT IV.

a Gregorius Max. b Presumptori Ecclesie Salonit.

Quotiens contra ecclesiasticam quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat; irrequisitum hoc relinquere non audemus. Pervenit itaque ad nos, quod per simoniacam hæresim fueris c ordinatus; sed & alia de te multa hæc dicta sunt, de quibus unum quam maximè fuit, propter quod necesse

necesse habuimus te summopere per scripta nostra prohibere, ne Missarum solennia celebrare debuisses, donec quid esset verius, potuissimus addiscere. Ne ergo, fili, Ecclesie diu videantur non habere Pastorem, & ne per hæc quæ dicuntur, si indiscussa remanserint, huiusmodi se vitium tendat in plurimos, hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus servata iustitia, hæc & cognoscere, & finire secundum canonica instituta, Christo revelante possimus. Ita autem fac, ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his, quæ dicuntur assignet: & nos in te hæc res, non solum propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis; sed etiam propter inobedientie culpam, durius, scilicet ut in contumacem, cogat ex concilio ferre iudicium.

NOTÆ.

COMMENTARIUM.

^{1.} ^a *Gregorius.*] Textus hic tribuitur Deodato in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 4. Gratianus autem in cap. accusatum 2. quest. 4. cum citat ex Sylvestro; sed inter epistolas Sylvestri, aut Pontificis Deusdedit non reperitur textus hic; extat tamen in epistola tertia, lib. 5. Regestr. D. Gregorii; quam integram hic transcribo, ut cognoscatur, Cardinalem Deusdedit in suo Decreto compilasse textum hunc, & transferuisse ex dicta epistola 5. ac sine causa eam divisisse.

^{2.} ^b *Maximo presumptori.*] Id est intruso, iniusteque ordinato in Episcopum, ut constat ex epistolis ipsius Pontificis lib. 3. epist. 70. & lib. 4. epist. 34. Sed quia Maximus forsan se purgavit ab hoc delicto simoniae, & aliis illi illatis, postea lib. 11. epist. 13. illi scribit sub titulo Episcopi Salonitani. De Ecclesia Salonitana egi in cap. 4. de accusat. ubi de hoc Maximo agitur.

^c *Ordinatus.*] Et pecuniâ datâ electus, ut habetur in dict. epist. 34. cuius partem retuli in cap. omnipotens, de accusat.

^{3.} Errum est, ordinatum per simoniam, suspensum esse ipso iure ab ordine suscepto, cap. tanta, cap. ex tua, hoc titulo. nam dum aliqui sacri canones ordinationem per simoniam factam nullam, irritamque esse docent, ut Gregorius noster lib. 7. epist. 142. & alii Ecclesie PP. in cap. quicumque, cap. cum ordinatur, 1. quest. 1. accipiendi sunt quoad exercitium, ut exponit Hallier. de sacris elect. sect. 7. art. 2. ad finem: & Gibalinus de simon. q. 27. Et licet reus accusatus de crimine, dum causa discutitur, non privetur iuribus sibi competentibus, ut probavi in cap. 4. de accusat. tamen in hoc crimine simoniae cum aliquis est infamatus publicè de eo, etiam iudicio pendente suspenditur à missarum celebratione, ut post Glossam hic, docuit Hallierius supra, fol. 264. Unde cum Maximus, de quo in præfenti, publicè infamatus esset de crimine simoniae, ut patet ex aliis epistolis ejusdem Gregorii, ideo Pontifex lite pendente, nec causâ adhuc decisa, illi inhibuit ne Missam celebraret, usque dum accederet ad Romanam Sedem, ibique legitime ab hac diffamatione purgaretur.

CAPUT V.

^a Lucius Papa.

Sicut enim simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione, mox sure ejus ^b signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesia Dei debet eliminari, atque propelli. ^c Petrus enim primus Pastor Ecclesie, non alicujus hominis attestacione, sed S. Spiritus inspiratione Simonis interiora recognoscens, sine aliqua audientia, terribilem, & repentinâ morte multavit.

NOTÆ.

^{1.} ^a *Lucius.*] Ita etiam legitur in primâ collectione, sub hoc titulo, cap. 6. nullibi tamen exprimitur, an primi, secundi, vel tertii Lucii sit textus hic, nec cui Prælaro in eo Pontifex rescribat. Ex dicta autem primâ collectione ita eum transcribo.

^{2.} ^b *Signa.*] Licet regulariter in criminibus probationes debeant esse luce meridianâ clariores. cap. 1. cum sequent. 2. q. 1. l. ult. Cod. de probat. l. qui sententiam 16. Cod. de panis; nec ex suspicione sola ullus accusandus sit, cap. multi 2. q. 1. D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. interdum tamen ob solam suspicionem proceditur, ut in casu heresis, ex l. 2. C. de hereticis: in casu adulterii, l. quamvis 30. Cod. ad leg. Jul. de adult. l. uxor 7. C. de repudiis. Quintil. declamat. 284. ibi: Sed finge me ex suspicione egressi D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

cum illo adulterii. Probat Fornerius lib. 1. rer. quorund. cap. 26. & in crimine simoniae, ex præfenti textu. Quibus autem modis probari debeat simonia, & quatenus in ejus probatione locus sit indicis & præsumptionibus, explicat Gibalinus de simon. cap. 30. per totam.

^c *Petrus.*] Verba quæ sequuntur omisit Raymondus; & rectè ea omisisse noravit Ant. Augustin. utpote difficillima; siquidem D. Petrus, dum interiora Simonis recognoscens dixit ei: Pecunia tua recum sit in perditionem; non illic eum interemit: quare ipse perdoctus vir creditur potius per hæc verba Lucium respexisse ad casum Ananiæ, & Sapphiræ; qui ad vocem D. Petri subito mortui ceciderunt, ut refertur cap. 5. Actuum Apostol. Sed cum casus hic non ob simoniam ab ipsis commissam; sed ob mendacium in retentione partis patrimonii contigeret;

G ;

geret;

geret; quid ad simoniæ detestationem, quam intendebat probare Lucius in præfenti? Credo ergo Pontificem sensit de Simone Mago, cui dixit D. Petrus, *certum non est rectum coram Deo*. Actuum Apost. cap. 6. Et cum postea ipse de miraculis faciendis cum B. Petro disceptaret, asseruit se in cælum conscensurum: sed cum sublatus à dæmonibus volaret sublimis; cuncto spectante populo, Div. Petri precibus in terram prostratus, cruribus perfractis jacuit, & decessit, ut referunt D. Clemens lib. 6. *constit. cap. 9.* Arnobius *adversus Gentes lib. 2.* Cyrillus Hierosol. *Catechesi 6.* Epiphani. *heresiz. 21.* & alii SS. Patres, ex quibus idem narrat Baronius anno 68. de qua repentina mortefensit, ni fallor, Lucius in præfenti.

Inter alias pœnas, quibus notorii simoniaci afficiuntur, præcipua est depositio à gradu clericali, cap. *qui studet*, cap. *Presbyter*, cap. *Sanctorum*, cap. *erga simoniacos*, 1. *quest. 1.* Concil. Tolet. 6. *can. 4. cap. cum super*, de *confessis*, lib. 1. *Capitul. cap. 97.* quam pœnam etiam in ordinarios sanxerunt Apostoli in *can. 20.* aliàs 21. Ambros. & Gelasius in *cap. baptizandis*, cap. *reperiuntur*, 1. *q. 1.* PP. Concilii Chalcedon. in *cap. si quis Episcopus* 1. *quest. 1.* in 6. Synodo *can. 22.* in 7. *can. 50.* Alexander II. in Synodo Romana *can. 3.* Gregorius VII. in Synodo Romana *can. 6.* quæ decreta juxta hodiernam praxim debere intelligi de depositione à iudice infligenda, non de ea, quæ ipso facto incurritur, docuerunt Hallier. *de sacris elect. sect. 7. art. 3 §. 1.* Gibalinus *de simonia*, q. 29.

CAPUT VI.

a Deus dedit.

Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi b adversus Dominos, & quilibet criminofus admittuntur ad accusationem. Item omnis peccator c Missam cantare potest præter simoniacum, quem etiam quilibet ut ab ordine malè accepto removeatur, accusare potest, etiam d meretrix.

NOTÆ.

1. a **D**eus dedit.] Ita etiam legitur in prima compilatione, *sub hoc titul. cap. 15.* Sed textum hunc transcriptum esse ex Decreto Cardinalis Deus dedit, jam notavi in *cap. 3. hoc titul.* Ex quo autem Concilio, aut sancti Patris decreto eum compilasset Cardinalis, non constat.

b *Servi adversus Dominos.*] Quia in hoc delicto proceditur ad instar criminis læsæ Majestatis, ut probavi supra in *cap. 3.*

2. c *Missam cantare.*] Quidam Præceptor nostræ Academiæ existimabat, in his verbis non agi de Presbytero celebrante Missæ sacrificium, sed de Psalmissa psallente in ipso sacrificio, juxta morem receptum jam à tempore, in quo pax data fuit Ecclesiæ, cum in usu esse cœperit schola cantorum, qui in eo gradu erant cooperti, ut psallerent in Ecclesia. Micrologus in *obs. eccles. cap. 1.* ibi: *Interim cantatur antiphona ad introitum, quæ ab introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere.* Quem morem cantandi Missam illustrarunt Lantdmeter. *lib. 2. de veteri monach. cap. 17.* Vicecomes *volum. 1. de ritibus Missæ*, lib. 5. *cap. 7.* & nos in *cap. 1. de celebrat. Missar.* Si accipiatur textus hic in hac secunda parte de Presbytero celebrante, difficilis valde est; siquidem nullus peccator in peccato persistens potest Missam celebrare, cum

interim dum non agit pœnitentiam, sit suspensus quoad se, cap. *sacerdotes*, cap. *Sacramenta*, cap. *neesse*, 1. *q. 1.* & publici concubinari quoad alios, cap. *nullus*, 32. *dist.* Sed adhuc potest, & debet accipi textus hic de sacerdote Missam celebrante, ita ut sensus sit, quod licet alii peccatores non præcisè ab Ecclesia, post peractam pœnitentiam possint Missam celebrare; & si in majoribus gradibus non sint, ad eos ascendere, ut probavi in *cap. final. de temporibus ordin.* tamen simoniaci, quia etiam post pœnitentiam non restituuntur ad gradum, à quo depositi fuerunt, non possunt ut ceteri peccatores pœnitentes Missam cantare, ut contingit in homicida ob irregularitatem contractam. Unde notat Gratianus *post cap. erga*, cap. *canem*, 1. *quest. 1.* ex epistola Innocentii ad Episcopum Macedon. quod etsi olim cum revertentibus ab hæresi dispensatum fuerit, ut in susceptis ordinibus ministrarent, vix tamen dispensatum legitur cum his, qui vel scienter à simoniacis ordinati fuerint; vel si ignoranter, eis postea liberè, ac lubenter adhæserint: & ita rectè in præfenti docetur, ut atrocitas, & gravitas simoniæ cognoscatur, eam tantam esse, ut omnis peccator ab Ecclesia non præcisus, ut homicidia, post pœnitentiam Missam celebrare possit, præter simoniacum.

d *Meretrix.*] Juxta tradita in *cap. 3. hoc titul.*

CAPUT VII.

Alexander III. in Concilio Turon.

Quia non satis utiliter avaritia in populo redarguitur, si ab iis, qui in Clero constituti videntur, & præcipuè contempto sæculo, religiosorum nomen profitentur, regula modis omnibus non cavetur: Prohibemus, ne ab eis, qui ad religionem transite

transire voluerint, aliqua pecunia^b requiratur; neque Prioratus, vel Capellania quilibet Monachorum, vel Clericorum annuâ distractione^c vendatur; neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, ex earum omissione pretium exigatur. Hoc simoniacum esse Sanctorum Patrum auctoritas manifestè declarat. Undè quisquis hoc de cætero attentare præsumperit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. ^d Prosepultura quidem, & chrisimatis, ^e & olei perceptione, nulla alicujus pretii exactio intendatur, nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

NOTÆ.

1. ^a **T** *Wronens.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 7.* & post Concil. Later. *part. 2. cap. 10.* Et licet hæc verba non reperiuntur in ipso concilio Turon. sub Alexan. III. celebrato, sententia tamen extat in Canone s. ipsius Concilii, puout illum edidit Coriolanus; & omnia verba reperiuntur apud Guillelmum Neubrig. *lib. 2. histor. Anglia, cap. 14.* De hoc Concilio nonnulla adduxi in *cap. nonnullis 27. de rescriptis.*
2. ^b *Requiratur.*] De Simonia in ingressu Reli-

gionis non committenda, agemus in *cap. veniens 19 hoc titul.*

^c *Vendatur.*] De Simonia fugienda in beneficiis Ecclesiasticis, agemus infra in *cap. 13.*

^d *Prosepultura, & exequiis defunctorum.*] Ut probavi in *cap. ad abolendam, de sepult.* & dicemus infra in *cap. suam.*

^e *Chrisimatis, & Olei.*] Ut exponemus infra in *cap. ea que.*

^f *Consuetudini.*] Quatenus consuetudine introduci possit, ut aliquid recipi valeat pro Sacramentorum collatione, dicam proximo, commentario.

CAPUT VIII.

Idem ^a Concilio Lateran.

CUM in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis in pendi, horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon pro sepulturis^b & exequiis mortuorum, & ^c benedictionibus nubentium, seu aliis ^d Sacramentis aliquid exigatur; & ille, qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum implere curaverit largitoris. Putant autem plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tantò ^e graviora sunt crimina, quantò diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis, sepeliendis mortuis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtius inhihemus. Si quis autem contrà hoc venire præsumperit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum exactio-
ne turpis muneris imitatur. ^f Prohibemus insuper, nè novi census ab Episcopis, vel Abbatibus, aliisvè Prælati imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant: sed libertates, quas sibi majores desiderant conservari, minoribus quoque suis bonâ voluntate conservent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit, habeatur.

NOTÆ.

1. ^e **L** *ateran.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. c. 8.* & extat textus hic in ipso Concil. Lateran. *can. 7.* ex quo canonem hunc transcribo.
- ^b *Sepulturis, & exequiis.*] Ut probavi in *cap. ad abolendam, de sepultur.* & dicam infra in *cap. suam.*
- ^c *Benedictionibus.*] De quibus latè egi in *cap. t. de secundis nuptiis.*
- ^d *Aliis Sacramentis.*] Non inde inferas, benedictionem nubentium esse Sacramenta, cum tantum sint orationes Ecclesiæ, ut probavi in *cap. 1. de secundis nuptiis,* quia dictio *aliis,* non est

semper repetitiva ejusdem casus, & qualitatis, ut probavi in *cap. 3. de clandest. despons.*

^e *Graviora.*] *Cap. nullus Episcoporum. 1. q. 1. cap. flegitia; 4. q. 7. cap. final. de consuet.*

^f *Imitatur.*] Undè colligitur, Giezi, qui à Naamo pro reddita sibi sanitate ab Elisæo, nomine ejusdem Elisæi munera petiit, ut refertur *lib. 4. Regum, cap. 5.* simoniacum fuisse; quod & similiter supponere videntur nonnulli Ecclesiæ Patres, dum peccatorem simoniacum cum eo conferunt, ut D. Ambrosius *lib. 4. in Lucam,* Cyrillus *carchesi 16.* Tarasius in *epist. ad Hadrianum.* Quibus adhæserunt plures Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quest. 103. art. 1. ad 4.* Abulensi in

dict. cap. 5. Regum, quest. 29. licet juxta animum ipsius Giezi in petitione munerum, hoc æstimandum esse noviter docuerit, Gibalinus de simon. qu. 6. consil. 16.

COMMENTARIUM.

^{3.} **EX** hoc textu sequens communiter deducitur assertio. *Consuetudo ut pro Episcopis, Abbatibus, & aliis Prelatis Ecclesiasticis ponendis in Sede, seu exequiis mortuorum aliquid exigatur, observanda non est. Probant eam textus in cap. non satis, cap. in tantum 36. cap. sicut 39. cap. Iacobus, hoc titul. cap. si quis obsecerit, 1. quest. 3. cap. quest. 13. quest. 2. cap. 2. de consuet. in 5. compil. ibi: Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod præteritum cujusdam consuetudinis, ut dicitur, juramento firmata, à singulis, quos in Ecclesia vestra canonicari contingit, unum scyphum argenteum exigatis, & etiam extorquetis, ex fructus præbendarum suarum, nisi consuetudinem jam dictam adimpleant. donecando. Quia igitur consuetudo hujusmodi habere videtur speciem pravitatis, & continet turpitudinem manifestam, univertitati vestra districtius jubemus, ut prædictam consuetudinem irritari faciatis de cætero, ne ejus occasione aliquid exigatis, aut subtrahatis aliquibus suarum redditus præbendarum. Concil. Londinense apud Matthæum Paris. ad annum 1237. Innoc. II. in Synodo Romana, cap. 2. Joannes XXII. in extrava. Suscepti, de elect. Concil. Mogunt. celebratum anno 1549. cap. 42. Mediolan. sub Carolo Borrom. part. 2. cap. 1. Lateran. sub Innoc. III. cap. 3. cap. penult. de sepult. Gallo Cardinal. in suis constitutionibus quæ extant tom. 26. Concil. can. 2. Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne sacerdotes, vel clerici occasione alicujus consuetudinis pro baptismo, sepultura, benedictione, aliisque Sacramentis Ecclesiasticis aliquid exigere, vel extorquere præsumant, sed ea liberaliter, & sine difficultate studeant canonicè ministrare; moneantur tamen laici diligenter, ne qua proreveren-tia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare. Illustrant ultra congestos à Barboza in præfenti, Binsfeldius ad hunc textum, Hallier. de sacris elect. sect. 7. art. 4. per totum. Suarez de simon. tom. 1. lib. 4. cap. 60. Mancinus sacri juris contrav. cap. 29. Roussellius lib. 5. histor. Pontif. jurisd. cap. 4. Sahagun in cap. final. de consuet. num. 32. Petrus Gregor. lib. 3. part. tit. 20. cap. 5. Chronius in notis ad textum in dict. cap. 2. de consuet. Germonius de sacror. immunit. lib. 1. in cap. 3. num. final.*

^{4.} **Impugnatur tradita assertio.**

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Consuetudinis non vilis auctoritas est, immò usque adeò sui valitura momenti, ut legitime præscripta juri scripto deroget, cap. quemadmodum, dist. 8. cap. contra jus, cap. placuit, dist. 32. cap. cum venisset, de eo qui mittitur in possess. cap. super eo, de cognat. spirit. cap. ad hæc consuetudo, de testibus, cap. ea noscitur, de his quæ sunt à Prelatis. Igitur et si per sacros canones prohibitum sit aliquid recipere pro inthronizationis, seu institutionis titulo; tamen si consuetudo legitime sit præscripta contra eosdem sacros canones, observari debet. Et talem consuetudinem legitimam, iustamque esse, probatur ex eo; nam quemadmodum apud Gentiles, quorum Republicæ bene ordinatæ, morataque erant, Magistratum venalitas omni mo-

do prohibebatur; tamen inthronistici nomina pecunia ultrò pendere solebat ab his, qui Magistratus inibant: cujus moris testis omni exceptione major est Plinius in Panegyrico ad Trajanum, ibi: *Superest ut ipse dispicias, an in omnibus civitatibus aliquid omnes, qui Buleuta leguntur, debeant pro introitu dare.* Et epist. 116. & 121. Symmachus lib. 4. epist. 14. & lib. 9. epist. 96. & lib. 10. epist. final. Et Claudius, qui postea Imperator, sextertius octoginta pro introitu novi Sacerdotii coactus fuit impendere. Suetonius in eo, cap. 9. Apuleius lib. 7. Metamor. Germonius dict. lib. 1. cap. 3. numer. final. quod & Scævola responso confirmatur in l. bis, §. alumno, & §. idem testator, ibi: *Pro introitu, ff. de legat. 3. quin & à Tullio in oratione pro Murena laudata est Candidatorum liberalitas, suffragatori populo munus edentium. Eundem Marcellus togata gentis morem observavit in l. Publicis, ff. de condit. & demonstr. immò & apud Romanos moris fuit, ut aliquid pro introitu Sacerdotii erogaretur, ut refert Suetonius supra cap. 9. & ex eo notavit Kochier in face hist. cent. 2. cap. 7. Accedunt Ecclesie canones, in quibus similes consuetudines jubentur observari. Stephanus Papa relatus in cap. quia sancta, 63. dist. In electionibus pacta, pollicitationes, & juramenta de aliquo præfando irritaret, ut tamen consuetudines antiquas ab his exciperet. Innoc. III. in cap. ad Apostolicam, hoc titul. in conferendis Sacramentis pravæ exactio-nes fieri prohibet, & piæ consuetudines præcipit observari. Gallo Cardinalis, qui tempore Paschalis II. ab Episcopatu Bellovacensi ad Parisiensem translatus est, statuisse dicitur in ejus statutis, num. 2. ne sacerdotes, vel clerici occasione alicujus consuetudinis pro Sacramentis quippiam extorquerent: moneantur tamen laici, ne quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, velint aliquatenus revocare. Odo (ut ait Blesensis epist. 127. & 128.) Henrici II. Anglorum Regis, & Regis Francorum confanguineus, qui Alexandri III. tempore Parisiensem rexit Ecclesiam, in commun. præcept. Synod. cap. 2. consuetudines laudabiles pro sepulturis exigere permittit. Tandem Synodus Lingon. & aliæ relaxat ab Hallierio de sacris elect. d. sect. 7. art. 4. piæ & laudabiles consuetudines in Sacramentorum receptione perfolvi solitas, exigere posse concedunt. Igitur & consuetudines observatæ pro Episcopodis, & Abbatibus ponendis in Sede, recipi valent, & observari debent.*

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cujus expositione præmittendum est, valde controversum esse apud DD. cui legi simonia opponatur, an videlicet divinæ, vel tantum ecclesiasticæ? Quam quæstionem læcè disputant Victoria in relect. de simonia, 1. part. à numer. 9. Sotus lib. 9. de justit. quest. 5. Vasquez in 12. Div. Thomæ, disput. 98. numer. 3. Lessius lib. 12. de virtutib. cap. 35. Sayrus lib. 2. clau. cap. 5. num. 11. Cajetanus tom. 2. opusc. tract. 9. quest. 1. Aragon in 2. 2. quest. 100. art. 2. Gregorius de Valent. in ead. quest. punct. 5. Durandus in 4. dist. 25. quest. 5. Summista Verbo Simonia, Binsfeldius in præfenti rubric. notab. 12. Gibalinus de simon. quest. 4. & communiter placuit, omnem simoniam spiritualium bonorum repugnare juri divino, & naturali. Hadrianus quodlibet. 9. Sotus ubi supra: quod apertè probatur ex præcepto Domini nostri apud Matthæum cap. 10. *Gratis accepistis*

^{5.} **Simonia quo jure damnatur.**

accepistis, gratis date. Quæ verba ad hoc probandum communiter PP. expendunt, ut Gennadius Patriarcha, & PP. Synodi Constantinop. in epist. in totum orbem missa, his verbis: Dominus noster, & Deus, & Salvator, Iesus cum discipulis suis, quos per universum orbem hominum Doctores misit, Evangelii prædicationem præcepit manifeste, ut munus, quod ab se gratis accepissent, illud ipsi ceteris quoque mortalibus largirentur, proque illo neque as, neque argentum, neque aurum, nec ulla alias facultates, aut materiale possiderent. Cælestibus enim, & spiritualibus gratis terrena & caduca commutabilia non sunt. Et statim: Simplex, & manifestus huius mandati sermo est: nihil hic ambiguum, nihil supra caput nostrum: nihil hic opus sophisticæ narratione. *Ame*, inquit, accepistis Sacerdotii dignitatem, pro qua, sive parvum, vel magnum quid dependistis, si hæc vendita est a me, venundate & vos eam aliis: quod si gratis accepistis, date & vos gratis. Facit exemplum Christi Domini dum eiecit de templo vendentes & ementes columbas: quod factum Salvatoris nostri in præsentem materia expendunt D. Augustinus tract. 19. in Ioannem, ibi: *Simon illo ideo volebat emere Spiritum Sanctum, quia vendere volebat Spiritum Sanctum, & putabat Apostolos mercatores esse, quales Dominus flagello eiecit; talis enim ipse erat, & quod venderet, emere volebat: de illis erat qui columbas vendebant, etenim in columba apparuit Spiritus sanctus.* D. Gregorius homil. 39. in Evangel. Urbanus II. in cap. Salvator, Alex. II. in cap. ex multis 1. quest. 3. Leo IV. in cap. requiritis 1. quest. 7. Gregorius Nazianzenus seu Tarasius, in cap. qui studet 1. quest. 1. Unde simonia, quæ committitur in venditione beneficiorum Ecclesiasticorum, est iure divino prohibita, ut docuerunt Cajetanus in dict. quest. 1. tract. 9. Victorius supra Sotus dict. lib. 9. quest. 7. cap. 2. & expliat Binsfeldius in præsentem rubric. Vendere verò officia merè temporalia pertinet tantum ad ministerium Ecclesiæ, ut officia Sacristæ, Procuratoris, & Advocati, non simonia à iure divino prohibita, nec est propriè simonia; immò quædam irreligiositas, ut latè probat Gibalinus de simonia quest. 4. sect. 4. num. 1. Theophilus Raynaud. tom. 12. tract. mala è bonis, &c. lib. 2. sect. 1. cap. 1. etiam simonia est à iure divino prohibita emere, aut vendere ea, quæ habent ex dispositione juris humani, quod sint spiritualia, ut vendere calicem, ornamenta Ecclesiæ, & aquam benedictam, quantum ad id, quod est spirituale in eis, ut explicat Binsfeldius in præsentem rubric. notab. 12. quest. 4.

Deinde sciendum est, quod cum simonia jam à temporibus Apostolorum prohibita esset, ceperunt nonnullæ consuetudines, seu potius corruptelæ in Ecclesia introduci, per quas simonia palliata committebatur, sub eisque latebat ambitus, mercimonium quoddam sacræ dignitatis sub nomine receptæ consuetudinis: ex quibus nonnullas referam in præsentem, & in cap. sicut, cap. Iacobus, cap. tua nos, hoc titulo. Et primò olim Episcopi in consecratione sua pauperibus populi aliqua largiebantur; cuius moris testimonium extat apud Cassiodorum lib. 9. ep. 15. in edicto Athalarici, in quo ad postulationem Joannis II. pecuniæ illius distribuendæ summa definitur his verbis: *Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta, quæ nimia sunt, cum de Apostolice consecratione Pontificis intentio for-*

tasse pervenerit, & ad Palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum, cum collectione chartarum censemus accipere: à quibus tamen omnes idoneos (id est divites) rei ipsius consideratione removemus, quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum: alios verò Patriarchas (id est Archiepiscopos, ut notavit Baronius anno 533.) quando in comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in prædictis conditionibus, atque personis intra duo millia solidorum iubemus expendere. In Civitatibus autem suis tenuissima plebi non amplius quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes, & edicti præsentis, & Senatus consulti nuper habiti poena constringat, sed & dantes canonum severitas persequatur. Vides sub ea elemosyna latuisse ambitum, & mercimonium quoddam sacræ dignitatis: idcirco graviter in ipsam invehitur D. Gregorius lib. 7. indict. 2. epist. 112. ibi: *Plerumque ergo adversarius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciendum sunt prava, surrepere, callide specie quasi pietatis injectâ nititur supplantare: suadet quoque, forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera elemosyna clarâ obumbratione transfundat, &c.* Omnino ergo metueda, & cavenda est hostis astutia, ne quos aperire nequit tentatione subvertere, latente telo levius valeat trucidare. Etiam receptum fuit, ut Episcopi, Archidiaconi, Decani, vel alii, à quibus in possessionem mittebantur, munera quædam in thronistica, seu pro investitura perfolverent: de qua prava consuetudine, et tanquam de simoniaca hæresi, reprehensus fuit Ivo Carnotensis à Richardo Albanensi S. A. L. ut ipse refert epist. 33. eò quod pro consuetudine antiqua aliqua publicè exigent Decanus, Cantor, & alii ministri ab his, qui Canonici fiebant: quam consuetudinem & suis temporibus vigere in Senonensi Metropoli testantur Hallier. ubi supra, Chopinus lib. 1. sacra pol. tit. 8. quam improbarunt Alex. III. in præsentem, & Innocent. III. in c. in tantum, infra hoc titul.

His ita animadversis ratio præsentis assertio- nis ex eo provenit, nam cum per sacros canones non solum improbata sit consuetudo, quæ iuri divino, vel naturali opponitur, verum etiam quæ Sedis Apostolicæ auctoritati obstat, vel Canonicis obviat institutis, cap. sacrosancta, 12. dist. cap. consequens dist. 8. cap. final. de consuet. & mala consuetudo, tanquam corruptela improbanda sit, cap. que contra, cap. à veritate, cap. si consuetudine, 8. distinct. & iniustum, atque illicitum sit pro qualibet re spirituali, ut est investitura, seu institutio corporalis in Sede, pecuniam accipere, ut probavi supra in cap. 1. ideo in præsentem Alexander quamcumque consuetudinem, per quam pecunia exigitur pro Episcopis, Abbatibus, vel aliis Prælatibus ponendis in Sede, ut corruptelam improbat, ac condemnat.

Nec obstat dubitandi ratio, cui facilè responderetur ex supra traditis; nam cum simonia prohibita sit à iure divino, vel Ecclesiastico, juxta distinctionem supra adductam, & nulla possit legitima, ac rationabilis præscribi consuetudo contra jus divinum, vel contra prædictam Ecclesiæ prohibitionem; idèò consuetudo, seu potius corruptela in præsentem ab Alexandro improbat. Nec obstant juris testimonia, Sanctorum que PP. sententiæ, in quibus consuetudo aliquid exigendi pro

rebus

7.
Tradi-
tura
ratio deci-
dendi.

8.
Dissol-
vitur
dubitandi
ratio.

rebus spiritualibus laudabilis dicitur, & observari jubetur: pro quorum solutione, omiffis variis distinctionibus traditis à Luna, & Arellano lib. 5. *Animom.* 3. discrimen constituendum est inter consuetudinem, quæ initium habuit à gratuitis fidelium oblationibus ex mera eorum liberalitate; & inter eam, quæ ex potestate, & exactione originem trahit: priori casu consuetudo laudabilis observanda est, cum non possit in ea considerari aliquo modo pretium rei spiritualis, & per consequens simonia: quo casu exaudiendus est canon. 29 Concilii Exoniensis tempore Honorii III. ibi: *Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptisimus, vel ali-quod Ecclesiasticum Sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur; quoniam si quid pia devotione fidelium consueverit erogari, semper hoc postmodum volumus per ordinarium loci Ecclesiam custodiam exhiberi.* Secundo vero casu consuetudo ut corruptela damnatur, cum turpe lucrum contineat sive ex objecto suo, sive ex circumstantiis: & ita nec ejus diuturnitas excusabit dantem à culpa, nec sufficit ut juri ipsam reprobanti derogetur, cap. non satis, hoc titul. Tri-

dent. *sess. 24. de reform. cap. 14.* Etiam distinguendum est inter consuetudinem, quæ etiam habuit principium ab exactione, non tamen ut pretium rei spiritualis, sed in sustentationem ministrorum Ecclesie introducta fuit; & inter eam, quæ ut pretium ipsius officii, seu beneficii penditur. Primo casu consuetudo servanda est, immò & cogendi erunt parochiani ad similes prastationes virtute consuetudinis præscriptæ, tam per iudices Ecclesiasticos, quam sæculares, si per viam violentie similis quæstio ad Regales Cancellarias deferatur, ut docuerunt Chopinus ubi *suprà*, Rebuffus in *concord. titul. de public. concubin. §. quia verò.* Secundo verò casu ut corruptela talis consuetudo omninò improbatur: juxta quas distinctiones accipiunt jura, tam pro confirmatione præsentis asserctionis, quam pro dubitandi ratione allata, Gibalinus de *simon. quest. 18. consèd. 13. & sequenti*; Hallierius *dist. sess. 7. art. 4.* quatenus tamen talis consuetudo ex actu facultativo præscribi possit, & parochiani ad eam observandam teneantur, exponit Binsfeldius in *cap. ad Apostolicam 42. hoc titul.*

CAPUT IX.

Alexander III. ^a *Vigilien. Episcopo.*

CUM sit Romana Ecclesia, cui licet immeriti præsidemus, Mater Ecclesiarum omnium, & ^b magistra, cogimur ex debito suscepti regiminis, prout nobis Dominus ministraverit, respondere consultationibus singulorum, ut dubiæ quæstiones Apostolicæ Sedis providentiâ penitus enodentur. Quæstivisti autem Frater Episcopo, tuæ Fraternalitati rescribi, utrum pro Ecclesiarum ^c consecratione quidquam præter procurationem habere debeat. Et nos consult. tuæ taliter respondemus, quod nihil pro Ecclesiarum consecratione potes, vel debes præter ^d procurationem exigere: sed procurationem moderatam, cum ^e Apostolus dicat: Nemo cogitur suis stipendiis militare; ab eadem Ecclesia exigere potes.

NOTÆ.

1. ^a *Vigilienf.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 9. & post Concil. Later. pari. 2. cap. 4. De Vigilienf. Ecclesia nonnulla adduxi in c. 8. de *atate & qualis.*
^b *Magistra.*] Ut probavi in cap. 2. de *summa Trinitate.*
^c *Consecratione.*] De qua, & ejus cæremoniis egi in cap. 3. de *consecr. Eccles.*
^d *Procuracionem.*] Procuratio quid sit & cui debeatur, exposui in cap. cum *Apostolus, de censibus.*
^e *Apostolus.*] Ad *Corinth. cap. 9.*

COMMENTARIUM.

2. **E**Piscopis ratione characteris Episcopalis competere facultatem consecrandi Ecclesias, probavi in cap. 1. cap. *aquam, de consecr. Eccles.* Circa expensas verò, & sumptus consecrationis, legimus in ejus solemnitate pauperibus annonam erogatam fuisse. D. Gregorius *epist. 54. ibi: Quia cella tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festivitase concurrere: propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in aur o solidos decem, vini amphoras trigim-*

ta, annona modios ducentos, olei orcas duas, vervecis duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus impuari. Immo Reges, ac Principes, Episcopis, ac Sacerdotibus, quando Edes sacra ab eis constructuebatur, donaria impertiebatur, ut de Cintulpho Rege Merciorum refert Matthæus Westmonasteriensis, ad annum 798. ibi: *In conventu tredecim Episcoporum nullus largitatis passus est repulsam, dum singulis reseclis marisupis hinc ababant. Et statim: Nam præter illa xenia, quæ optimates susceperant inestimabilis pretii, & numeri, in utensilibus, vestibus, equis lectissimis, omnibus, qui agros non habebant, libram argenti, Presbyteris marcã auri, Monachis solidum unum, & postremo multa universo populo erogavit. Quæ donaria, si non exigenda, oblata tamen respuenda non esse docuerunt PP. Concilii Brachar 2. Cabilon. relati in cap. *construimus. quest. 1. cap. placuit. quest. 2.* undè ex iis oblationibus pro consecratione Ecclesiarum factis Episcopum omnibus bonis, ac facultatibus exutum victitasse legimus apud Hermoldum in *chron. Sclavorum, libro tertio, cap. 21. ibi: Harticus Bremensis Episcopus, necessitate compulsus ministerialium redditus Episcopales per triennium abjuravit, ut infra tempus illud omnia ex integro solverentur: Episcopus verò ex his, quæ de cathedralico, vel consecratione altarium consequi poterat,**

rat, visitabat. Unde in presenti textu prohibet Alexander, ne Episcopus pro consecratione Ecclesiarum aliquid exigat, nisi procuracionem, quae stipendii, & sustentationis ratione penditur: de

juribus autem, quae consequitur Episcopus in Ecclesia consecrata crudite agit Lemaistre lib. 2. de juribus Episc. cap. 4.

CAPUT X.

Idem a Toletano Archiepisc.

DE hoc autem, quod Rex, & Principes sui à^b Bernardo Exon. Episcopo pecuniam recepisse dicuntur, ut ejus electioni præstarent assensum; & quod idem Episcopus Archidiacono Exonen. beneficium certi redditus, & cuidam Clerico ante electionem suam Prioratum dicitur promississe, ut uterque illorum, Archidiaconus videlicet, & Clericus ei^e consentirent: hoc tuæ prudentiæ duximus respondendum, quod si manifestum est, eundem^d Archidiaconum, & Clericum ob causam illam, tam iniquam, & detestabilem promissam rem recepisse; & si exinde confessi fuerint in jure, vel legitime convinci poterunt, ab altaris ministerio perpetuo sunt^e deponendi. Si vero id^f manifestum est, nec tamen convicti, vel confessi fuerint; & tamen publicam laborant infamiam, eiscanonica purgatio debet indici, in qua si defecerint, tanquam auctores tanti sceleris sunt^g puniendi. Regem autem, & Principes suos sollicitè monere debes, & diligenter inducere, ut si qua receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent^h assensum, ⁱ Ecclesiæ sine diminutione restituant, cum ea sine gravi suæ salutis^k periculo retinere non possint.

NOTÆ.

^a **T**oletano.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 10. id est D. Cerebruno, qui natione Gallus, patriam Bituricensis. Archidiaconus Toleranus, Magister Regis Ildefonsi VII. Episcopus creatus fuit Seguntinus, à qua Ecclesia in Toleranam translatus fuit. Huic & Gundisalvo Episcopo Segobienfi, & D. Ioscelino Episcopo Seguntino delegavit Alexander III. cognitionem præsentis simoniæ commissæ ab Episcopo Oxomensi, ut referunt Colmenares in histor. Segobienf. cap. 17. §. 13. his verbis: *Anno de mil ciento y sesenta y seis o acafo el siguiente: el Papa Alexandro III. escriuio la epistola decretal, que oyes onze en el titulo de simonia, de las Decretales, al Arcobispo de Toledo D. Cerebruno, y à nuestro Obispo D. Gonzalo, y al Obispo de Siguenza, nombrado D. Ioscelmo, ò (como algunos queren, D. Ioscelino) para que los tres Prelados ientado à Osma averiguassen si Bernardo su Obispo ania ocupado aquella Prelacia con medios simoniacos, como se havia denunciado, prometiendole dignidades, y prebendas à los que votassen por el, y dineros à los tutores de el Rey, por que ania sucedido en tiempo de sus tutorias, para que consintiesse en la eleccion, obedecieron los Prelados, y averiguando el echo conforme à la fama, le depusieron. Egidius Gonzalez in theatro Ecclesiæ Seguntinæ in vita D. Cerebruni: & in theatro Ecclesiæ Segob. in vita D. Gundisalvi, ibi: *A este Pralado, y al Arcobispo de Toledo D. Cerebruno, y à Ioscelino Obispo de Siguenza, el Santissimo Pontifice Alexandro III. les cometio como à juizes Apostolicos, que averiguassen la causa de Bernardo Obispo de Osma, que se le imputava ania comprado el Obispado con fisco de la simonia, y fue privado de la dignidad, que injustamente tenia. y esta sentencia se pronuncio el anno de 1176.* Hujus delegationis literas non habemus, sed facile ex hoc colligitur, quod cum constaret de simonia, Episcopus depositus fuit à dignitate, & ad antiquam Prioris ipsius Ecclesiæ restitutus: cujus depositionis sententia referebatur in prima parte hujus epistolæ*

quam compilatores omiserunt, ut patet ex illis, prioribus verbis hujus textus, de hoc vero; quæ satis innunt, in præsentem deesse priorè partem epistolæ, in qua de prima parte hujus simoniæ agebatur; siquidem statim descendit Alexander ad Regem, Principes, Priorem, & Clericum, qui in hac simoniaca electione interfuerunt: & ita constat, quod licet cognitio hujus causæ commissæ fuisset illis tribus iudicibus; tamen executio sententiæ ab Alexandro lata mandata fuit tantum Archiepiscopo Toletano.

^b Bernardo Exon.] Certonenfi legitur post Concil. Later. part. 2. cap. 13. Sed ut rectè notavit Anton. Augustinus in præsentem, legendum est Oxomensi. Oxoma, se Vxuma, est perantiqua Hispaniæ Urbs in antiquis Celtiberiæ partibus, in Arabiacis sita, vulgò Osma dicta; cujus meminerunt Plinius lib. 3. histor. cap. 3. Ptolomeus lib. 2. cap. 6. Gerardus Mercator in fabrica mundi. Ex quibus, & aliis ejus originem, ac clades retulerunt Hieronymus Zorita in notis ad iuenerarium Antonini fol. 595. D. Garf. Loayla in notis ad Concil. apud Lucum, fol. 157. num. septimo, Tamayus à Salazar in Martyrol. Hispan. die VI. Februarii, XI. Aprilis, & XX. Decembris, Ambros. Morales in antiquit. Hispan. cap. 13. fol. 12. colum. 2. Ab exordio nascentis Ecclesiæ Cathedra Episcopali decorata fuit, cujus Præsules usque ad excidium Hispanicum honorificè perseverarunt in gloriâ doctrinæ & sanctitatis: post Sarracenorum stragem ipsam Pelagus Rex anno 718 recuperavit; inde Alfonsus Catholicus anno 757. Ecclesiam restituit Cathedrali; sed deinde occupata ab Almanzore Rege, jacuit donec Ordonius I. illam reedificavit anno 871. & variis incursionibus dirutam ac desertam, tandem restituit Albarmudez, ut legitur in chron. Cidis, cap. 247 seu Gundisalvus Tellez, ut refert Salazar à Mendoza in origin. dignit. Hispan. cap. 14. & Sedem Episcopalem restituit Bernardo Archiepiscopo Tolet. qui ei præfecit sanctum Petrum, patriam Bituricensis: unde dum in chron. Cidis, cap. 128. legitur

E de

*E de Burgos trajo à san Pedro, que fue primero Arce-
cediano de Toledo, è despues Obispo de Osma; le-
gendum est, de Burdeos. In hac perantiqua Eccle-
sia contigit casus in præsentem ab Alexandro III. de-
cisus; contigit enim per annum 1174. ut quidam
Prior ipsius Ecclesiæ dictus Bernardus Tellez,
ambiens Sedem Episcopalem ipsius Ecclesiæ,
Prioratum suum cuidam Clerico, beneficium verò
Archidiacono promiserit, ut pro ipso suffragium
præstaret; & quinque millia marapetinorum
aureorum tutoribus Regis Alfonso dedit, ut assen-
sum electioni præstaret: & ita electus ac confir-
matus à Rege & Principibus fuit, per biennium
que Cathedram Episcopalem occupavit. Sed ùm
tantum facinus ad aures Alexandri III. pervenif-
set, inquisitionem ipsius criminis commisit præ-
dictis tribus Prælati, & juxta acta ipsius processus
Alex. III. in præsentem epistola iussit ipsum Episcopum
deponi, & similiter prædictos Priorem, &
Clericum ab altaris ministerio perpetuò depo-
ni, si confessi fuissent in iudicio, aut convicti, aut
purgatione Canonica illis indicta, in ea defecif-
sent. Depositus fuit Bernardus ab Episcopatu, &
ex misericordia ad Prioratum restitutus, ne in op-
probrium Episcopalis dignitatis, quam per biennium
obtinuerat, mendicare cogereetur. Ille tamen
nec depositus ambitus fomitem deposuit, nec pen-
nitentiam de tanto crimine egit; & ita post aliquot
annos decessit, sepultusque fuit in eodem loco,
in quo sanctus Petrus, & ceteri Episcopi requies-
cebant; sed ejus miserabilem exitum satis ostendit
perantiqua pictura, quæ hodie in ipsa Ecclesia
cernitur, & ex libro M.S. ipsius Ecclesiæ retulit D.
Manuel de Villafuso in nova interpretatione hujus
textus.*

c Et consentirent.] Quia his temporibus ad
Capitulum Ecclesiæ spectabat electio proprii Episcopi,
juxta tradita in cap. 2. de elect. beneficium
Archidiacono promissit, quia id compatibile erat
cum dignitate; & similiter Clerico, hoc est Canonicò
ipsius Ecclesiæ Prioratus dignitatem compati-
bilem cum ipsa præbenda promissit.

d Eundem Archidiaconum.] Sed si Episcopus
fuit particeps sceleris, immò auctor simoniæ, quo-
modo etiam Alexander III. non jubet ipsum depo-
ni; nam si idem fuit horum trium crimen, par
omnium debuit esse pœna, *l. si quemquam, C. de
Episcop. & Cleric. ibi: Ut quos par facinus coinquinat,
& equat, utrosque similis pœna comitetur.*
Et verè, ac cum effectu ipsum Bernardum deposti-
tum fuisse ab Archiepiscopo Toletano, constat ex
quodam codice M.S. anonymi auctoris de vitis
Episcoporum ipsius Ecclesiæ, ubi dum agitur de
hoc misero Bernardo, ita legitur: *Yansi lo hizo el
de Toledo, que procediendo juridicamente le privò
de la silla Episcopal Tradunt Colmenares, & Egidi-
us Gonzalez ubi supra.* Et licet in alio Codice
M.S. ipsius Ecclesiæ, in quo ejus Episcopi recen-
sentur, ita habeatur: *Post hunc fuit Bernardus Prior
Oxomensis. tempore Regis Aldefonsi, & consecratus
à Domino Celebruno Archiepiscopo Toletano, Joelmo
Seguntino, Gonsalvo Segobienfi: iste fuit simonia-
tus, & ideo fuit depositus per Alexandrum Papam,
& factus fuit Prior Oxomensis.* Hæc contraria non
sunt; nam cum post causæ cognitionem Alexan-
der III. commississet Archiepiscopo Toletano
ipsam depositionem, benè consonant, Archiepiscopum
cum deposuisse virtute delegationis, & si-
mul Alexandrum III. deposuisse depositionem
delegando; quia delegans, & delegatus pro una

persona habentur, *l. i. ff. quis, & à quo appelletur.* Ut
hanc difficultatem dissolvat Villafuso in nova in-
terpretatione hujus textus, existimat verba supra
relata non esse conjunctim legenda, sed comma
adjecto post verbum eundem, ita: *Eundem Archi-
diaconum, & Clericum:* ut sensus sit, quod si mani-
festum esset, eundem Episcopum, Archidiaconum,
& Clericum simoniam commisisse, ipse omnes ab
altaris ministerio deponeret, ut ita illa verba, *sunt
perpetuò deponendi,* referantur ad Episcopum, Archi-
diaconum, & Clericum. Sed hæc subtilis inter-
pretatio sustineri nequit. Primum quia repugnat il-
lis verbis, quæ sequuntur: *Ob causam illam, tam
iniquam, & detestabilem promissam rem accepisse.*
Ex quibus expressè constat, Pontificem tantum a-
gere de Archidiacono, & Clerico beneficia promissa
recipientibus, quæ non conveniunt Episcopo,
quia ea promissit. Secundò quia Alexander III. ex ac-
tis confectis ab Archiepiscopo Toletano, & Præ-
latis Seguntino, & Segobienfi, quibus hujus causæ
cognitio commissa erat, sententiam depositionis
contra Episcopum protulit, cujus executionem
tantum Archiepiscopo Toletano in præsentem man-
davit. Undè cum ex actis confectis contra Episcopum
pronunciasset, non poterat dicere, ut si
manifestum esset, eundem beneficia promississe,
quia id confessus esset, aut legitime convictus;
cum jam ex ipso processu appareret Episcopum
convictum esse de simonia: sed quia ex ipso etiam
processu constabat eum Archidiacono beneficium,
& Clerico Prioratum promississe, non tamen appa-
rebat recepisse; ideo jubet Pontifex quoad eos
conditionaliter, quod si confessi, aut convicti fue-
rint, ab altaris ministerio deponantur. Deinde nam
Episcopus, etsi fuit depositus ab Episcopatu, non
tamen ab altaris ministerio, immò in ipso Prioratu
permanfit: igitur verba illa, *ab altaris ministerio
sunt perpetuò deponendi,* referri non possum ad Episcopum.
Quare hac omnia interpretatione ve-
rius credo, in præsentem epistola etiam depositionem
Episcopi fuisse commissam; sed cum ejus prima
parte careamus, ut supra notavi, in ea parte com-
mittebatur Episcopi depositio, siquidem postea
descendit Alexander ad socios ejusdem criminis,
videlicet Archidiaconum, & Clericum.

e Deponendi.] Sed cum collatio Sacramento-
rum, & beneficiorum cum simoniaca labe facta
ipso jure nulla sit, *cap. Mattheus, cap. sicut, hoc titul.
cap. ea que t. q. 2. extravagante detestabile hoc
titul. ad quid necessaria est depositio; cum ad hoc,
quod quis deponatur, debeat habere aliquem dig-
nitatis gradum, l. aut damnum, ff. de penis, junctis
traditis à Quintino cap. novimus, q. 7. de V. S. Far-
nac. in praxi crimin. p. 1. q. 19. n. 49.* A quo enim di-
gnitatis gradu deponendi erant, qui nullum fue-
rant adepti, *l. s. vers. & post. defectum, ff. de injusto
ruptio, juncto Duareno lib. 8. de sacris Eccles. cap. 6.*
Agnovit difficultatem villafuso in præsentem, n. 12 &
docet, tam Episcopi electionem, quam collatio-
nem beneficiorum factam Archidiacono, & Cleri-
co nullam fuisse, arque ita depositionem hanc tan-
tum continere sententiam declaratoriam, quæ de-
claratur, ipso jure nullam fuisse dictam collatio-
nem, ut in *l. sicut 8. §. sed si quaratur, ff. si servus
vindictur, l. adeo 7. vers. Cum enim, ff. de acquir. rer.
dom. quia novum non est, ut quod nullum fuit, rescindi
dicatur, l. quod vulgo 19. ff. de honor. possess. contra
tab. l. 5. ff. qui, & à quibus; saltem quoad
ipsum factum, argumento legis inter cetera, ff. de li-
ber. & posth. Sed licet hæc juris principia vera sint,
tamen*

tamen prædicta solutio minime necessaria est; nam in præfenti non agitur de depositione ab ipsis beneficiis, sed de depositione Archidiaconi, & clerici ab officio, ibi: *Ab altaris ministerio*. Quam depositionem ab officio simoniaci incurunt, *cap. ergo 10. i. quest. 1. cap. 2. cap. sic. hoc tit. l. cap. 2. de confessis*. Unde jubet Alexander III. ut si constaret Archidiaconum, & clericum beneficia sibi promissa recepisse, ab altaris ministerio perpetuo Archiepiscopus eos deponat, id est officio in perpetuum privet.

6. *f. Manifestum est.*) Manifestum non est, alibi legi notavit Ant. Augustin. ad hunc textum in præfenti: sed eâ litterâ negativâ admittâ, nullus esset sensus sequentium verborum, ibi: *Nec tamen inde convicti, vel confessi fuerint*; cum dictio *tamen*, semper casum discernat, *l. si tamen, ff. de rest. tutel.* Illustrant Barb. *de dict. cap. 347.* Retentâ ergo hac lectione affirmativâ, difficile est quomodo in casu manifesti criminis non imponitur pœna ordinaria, sed tantum purgatio canonica inducitur. Verum hanc difficultatem exposui in *cap. evidentia, de accusat.*

7. *g. Sunt puniendi.*) Pœna ordinaria, exponit Morla in *emporio, tit. 12. q. 1. n. 13.* & discrimen constituit inter casum, in quo proceditur per accusationem, & quia crimen non legitime probatum fuit, purgatio canonica indicitur; & inter casum, in quo proceditur per inquisitionem, & similiter purgatio injungitur. Primo casu affirmat, deficienti in purgatione pœnam ordinariam esse intelligendam: secundo verò casu extraordinariâ tantum pœnâ locum esse: juxta primum casum accipit præfentem textum, juxta secundum verò textus in *c. insinuat, hoc tit. l. e. inter, de purgat. canonic.* Sed cum in præfenti specie non procederet per accusationem contra Priorem & clericum, sed potius per inquisitionem, siquidem incidenter apparuit eorum simonia, cum de simonia ab Episcopo commissâ principaliter ageretur, admitti non potest sententia Morlæ, nec juxta ejus sententiam pœna ordinaria in præfenti casu non poterat imponi. Ex alio tamen capite pœna ordinaria hoc casu locum habet, quia crimen simoniæ, quomodocumque apparuerit, sive per accusationem, sive per inquisitionem, pœna ordinaria imponitur, ut probavi in *c. inquisitionis, hoc tit. l.*

8. *h. Præstarent assensum.*) Sed cum tempore Alexandri III. Reges Hispaniæ electioni Episcoporum factæ à Capitulis Ecclesiarum præstarent assensum, usque ad tempora Bonifacii VIII. quo Reges ipsi cœperunt præstare Episcopos in Ecclesiis sui Regni, ut referunt, & probant Bobadilla *lib. 2. Politica, n. 216.* Barbosa *de potest. Episc. 3. p. c. 3. n. 27.* quomodo poterunt Principes in præfenti casu pecuniam accipere, ut ipsi etiam consensum præstarent electioni Episcopi Oxomensis? Agnovit difficultatem Vilafiso in *præfenti*. Et primò in ea fuit sententia, ut existimaret, legendum esse, *præstarent*, ut in verustissimis libris legi notavit Ant. Augustin. in *præfenti*. Sed præterquam quod tam in principio hujus textus, quàm in verbis relatis tam in prima, quàm in hac sexta collectione legitur *præstarent*, mendum hoc repugnat menti Pontificis; siquidem Alexander affirmat, Principes pecuniam recepisse, eamque ipsos retinere non posse; unde semper in plurali loquitur Pontifex. Quare ad singularem sine vitio contrahi non potest: quare remelius perpensa, ipse Vilafiso existimat, huic electioni Bernardi consensum præstitisse Principes, *D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

quia olim omnibus privilegiis, & donationibus à Rege factis subscribebant Principes, hoc est Magnates, hodie dicimus *Grandes*, olim *ricos homes*, ut constat ex antiquis privilegiorum & donationum chartis relatis à Yepes *ad calcem chronici D. Benedicti*: quem antiquum Hispaniæ morem referunt Zurita in *annalibus Aragoniæ, lib. 2. cap. 3.* Garibay *lib. 10. histor. c. 4.* Argote Molina *de nobilitate lib. 1. c. 62.* Colmenares in *histor. Segobiensi lib. 1. c. 17. §. 9. in fine*, Moreno de Bargas *de Hispan. nobilit. discurs. 13.* Guardiola in *Hispan. nobilit. c. 4. fol. mihi 112.* Salazar à Mendoza *de orig. dignitat. lib. 1. c. 9. in fine, & lib. 2. cap. 11.* Sed hæc interpretatio admitti non potest, primò quia nullibi legitur, Magnates Hispaniæ subscripsisse confirmationibus Regis Episcoporum. Secundò, quia non solum Magnates, verum & Prælati Ecclesiastici subscribebant privilegiis illis, & donationibus, ut ex ipsis passim constat. Sed credi non potest, Bernardum omnibus Principibus, & Prælatibus Hispaniæ pecuniam dedisse, ut subscriberent, & consensum præstarent ipsi electioni: ergo prædicta solutio sustineri nequit. Quare eâ omittâ vera interpretatio hujus textus petenda est ex historia Regis Alfonsi IX. cujus tempore præfens casus contigit. Ildefonsus enim mortuo patre suo Sancio quatuor tantum annos habebat, unde pater illi testamento tutorem designavit D. Gutierrem Fernandez à Castro, justique, ut Principes, & Magnates Hispaniæ, castra, & oppida in sua ditione haberent, usquequid ad quindecim annos pervenisset; quâ ætate omnia illi restituerent: sed cum Castellæ Proceres, præcipuè D. Petrus, & D. Nunius de Lara, iniquum putarent, unius tantum hominis, D. Gutierrez videlicet, arbitrio omnia Regni negotia disponi, ac gubernari, ideo fratres D. Petrus, D. Nunius, & Manrique à Lara turelam, ac educationem Ildefonsi susceperunt, ut referunt Mariana *lib. 11. histor. cap. 3.* unde ipsi dedit Bernardus quinque millia marapetitorum aureorum, ut referunt Colmenares supra relatus, & Anonymus, qui vitam ipsius Bernardi scripsit, cujus liber MS. servatur in archivis Ecclesiæ Oxomensis: & ipse Rex Ildefonsus suo testamento quod condidit in villa vulgò dicta Fuentiduenna, die 8. mensis Decembris, era 1242, refert D. Nunius, & D. Petrus tutores suos recepisse quinque millia marapetitorum pro electione Episcopi Oxomensis, & jubet ut restituantur. Tradit Mariana *lib. 11. histor. Hispan. c. 10.* unde aperte constat, Principes D. Nunium, & D. Petrum, non ut Regni Magnates, sed ut tutores Regis consensum præstitisse electioni Oxomensis Episcopi, præfensit Lambertinus *de jure patron. part. 3. lib. 2. q. 6.* Nec obstat si dicas, præfentem casum contigisse anno 1174. ut refert Garibay *lib. 12. histor. eod. ann.* in quo Alfonsus jam pubes erat. Nam respondeo, quod licet Alfonsus anno 15. suæ ætatis juxta dispositionem Sancii Patris sui, regni curam regimenque habuisset, tamen adhuc tutorum suorum consilio, & auctoritate omnia disponebat: unde ipsi poterunt accipere eam quantitatem, ut electioni Bernardi simul cum Rege assensum præstarent, nisi dicamus etiam eo tempore turelam Regis non finiri pubertate, ut postea cautum fuit in *l. 3. tit. 15. partit. 2.* quam latè illustrat D. Joseph. Vela *dissert. 3. Hispal.*

9. *i. Ecclesia*) Sed cur Ecclesiæ restituitur pretium simoniacè acceptum? Pater Layman *lib. 4. moral. tract. 10. c. ult. §. 9. n. 84.* Gibalinus *de simonia, q. 22. in fine*, existimantur, in præfenti Bernardum dedisse

dedisse Regi, & Principibus bona ipsius Ecclesie Oxoniensis, & ita illi restituenda esse sine ulla diminutione, quia ab ea profecta erant. Sed hæc solutio convincitur ex eo, quia nulla Ecclesie bona dedit Bernardus, sed tantum ex patrimonio suo quinque millia marapetorum aureorum (de quorum valore videndi sunt Covarr. *de veterum numismat. collat. cap. 5. Carranza de monet. p. 1. c. 3.*) Villaluso in præsentis textu, ad finem ait, Bernardum quantitatem hanc dedisse ex fructibus perceptis ex Prioratu ipsius Ecclesie, quam ipse obtinebat; unde cum malè eos expendisset, ad restitutionem tenebatur, juxta opinionem eorum, qui docuerunt, beneficiarium fructus sui beneficii malè confumentem teneri ad restitutionem, quam retuli in c. cum in officiis. de restam. Sed hæc solutio peccat in pluribus. Primò quia non agitur in præsentis de restitutione facienda ab ipso Priore fructus dissipante, sed à Principibus illud recipientibus ex causa simoniae. Secundò quia ea sententia ut beneficiarii malè absumentes fructus sui beneficii, teneantur ad restitutionem, vera non est, ut probavi in d. c. cum in officiis: & eà adhuc amissà restitutio non erat faciendâ Ecclesie, sed pauperibus, qui fraudati fuerant in his fructibus malè consumptis, cum in eos erogandi essent. Unde his ommissis sententiis dicendum est, quod ille, qui pretium accipit pro spirituali, atque ita simoniam commisit, teneatur pretium restituere illi, cui iudex, qui de crimine cognovit, iusserit. Unde aliquando restituitur Ecclesie, aliquando pauperibus, c. audivimus, hoc titul. extravaq. Gregorii XIII. de simonia: docuerunt Sotus lib. 9. de just. q. 8. art. 1. Victoria in relect. de simon. 2. p. n. 6. Navarra de restit. lib. 4. cap. 2. n. 147. Aragon. 2. 2. quæst. 100. art. 6. Binsfeldius in cap. 46. hoc titul. q. 1. Gibalinus de simonia, q. 2. n. 9. Alexander autem in præsentis iussit, pecuniam à Principibus acceptam ipsi Ecclesie Oxoniensi, cui quodammodo injuria illata fuerat, restitui, ut etiam Justinianus constituit in Novel. 6.

IO. k Sine salutis periculo.) Anceps quæstio est,

an accipiens pretium simoniacè, teneatur illud restituere in foro conscientie, etiam ante iudicis sententiam? Et affirmativam partem cum D. Thoma 2. 2. q. 32. art. 7. tenuerunt ex Juristis Covarr. in regul. peccatum, p. 2. §. 2. n. 6. Navarr. ad bunc tit. consil. 15. Didacus Perez in l. 3. gloss. 3. sit. 3. lib. 1. Ordin. Petrus Gregor. lib. 33. synag. c. 13. num. 38. Azor. 3. p. instit. moral. lib. 12. q. 11. Lessius de just. lib. 2. c. 35. dub. 31. Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. c. 60. Scortia in select. Pontif. constit. epist. 32. theorem. 86. pluribus relatis Balleus in floribus, verbo Simonia 7. Vincentius Candidus tom. 1. disquisit. moral. disquisit. 18. art. 43. §. 3. Gibalinus de simon. qu. 22. num. 8. Contrariam verò sententiam teneatur Sotus lib. 9. de justit. q. 8. ar. 7. Gutierrez lib. 2. canonic. c. 23. n. 19. Molina de justit. tr. 2. disp. 29. Diana p. 4. tr. 4. resol. 167. Thom. Sanchez lib. 2. summa, cap. 33. dub. 1. Villaluso in præsentis, n. 43. Sed placet prior sententia, videlicet ante nullam iudicis sententiam teneri simoniacum pretium restituere; nam cum Ecclesia hujusmodi conventionem, & pretii acceptionem omninò irritat, sequitur necessariò, ex lege naturali non posse retineri pretium illud; siquidem per invalidam pactionem, & jure resistente ejus dominium transferri non potuit, ex l. si non fortem, in princip. ff. de condit. indeb. l. cum lex 47. ff. de fide juss. l. contra 28. ff. de pactis. Illustant Vela dissert. 6. n. 43. Alin, in l. 2. n. 7. Cod. pro emptore. Atque ita hæc obligatio restituendi pretium proximè oritur ex jure naturali, quod supponit lex ecclesiastica irritans omnem pactionem simoniacam circa beneficia, adeo ut ex tali conventionem nec obligatio naturalis nascatur, ex l. juris gentium 7. §. sed cum nulla, ff. de pactis. nec dominium transferatur: quare rectè assertimus in præsentis casu, necessariam non esse iudicis sententiam ad hanc obligationem incurrendam; quæ enim obligant ex natura rei omnem condemnationem præcedunt. In præsentis autem specie, non tenebantur Principes pretium restituere Ecclesie, quia adhuc illi adjudicatum non erat.

CAPUT XI.

Alexand. III. ^a Eborac. Archiepiscopo.

CUM essent in præsentia nostra constituti R. clericus de ^b Pontefracto, & nobilis Cyri Vv, quia moram diutius facere non poterat in recessu suo, dil. filium nostrum Milonem, nuntium tuum pro te in causa illa sufficientem responsalem constituit. Cumque causæ cognitionem d. f. nostris M. presbytero tit. S. Lucie, & V. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconis Cardinalibus commississemus, ipsi utramque partem ante suam præsentiam convocaverunt, & ab ore præfati R. intellexerunt, quod memoratus miles promiserat ei præscriptam ^c Ecclesiam, si quoddam ^d negotium ejusdem ^e militis posset in nostra Curia ^f promoveri. Unde cum id nobis per eosdem Cardinales innotuisset, nos intelligentes promissionem ipsam simoniacam pravitatem continere, eidem R. super eadem Ecclesia ^g silentium imposuimus. Ideoque fraternitati tuæ per A. f. p. m. quat. memoratum militem occasione prædictæ controversiæ à prænominate R. vel aliis super præscripta Ecclesia gravari nullâ ratione permittas.

NOTÆ

I. ^a Eboracensi) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 11. & post Concil. Later. part. 2. cap. 14. Ex quo codice transcribo litteram hujus textus. De Eboracensi Angliæ Metropoli nonnulla adduxi in cap. 4. de rescriptis.

^b Pontefracto.) Pontifracum est oppidum citra Eboracum circiter 18. millia passuum, loco magis ameno, quàm à nativamunito, ubi extat Castellum, & in eo aliqua vestigia templi, quod ibidem Claudio Cæsari dicatum fuerat, ut refert Polydor. Virgil. lib. 2. histor. Angliæ, fol. 32.

^c Ecclesiam

3. c. *Ecclesiam*.] Id est beneficium, ut in cap. final. de magistr. Quare in Concilio Mogunt, sub Arnulpho, cap. 5. & sub Rabano cap. 12. acquirere Ecclesiam, & beneficium idem sunt: & in Concil. Turon. sub Carolo, cap. 15. & c. presbyter 1. q.
4. d. *Quoddam negotium*.] Et ita pro obsequio temporali promissum fuit beneficium, & per consequens simonia commissa; quia non minus obsequium temporale improbat in traditione rei spiritualis, quam pretium, Binsfeldius in presenti quest. 4. Gibalinus de simonia, quest. 16. consecr. 13. per totum.

- e. *Militis*.] Quem prius nobilem dixerat, non quia de sui natura miles nobilis sit, sed quia miles, de quo in presenti, sanguine nobilis erat, ut docuit Carballo in cap. Raynuncius, part. 1. num. 336. de restam.
- f. *Promovere*.] Clericus etsi non possit esse procurator laici, potest tamen ejus negotia promovere, & curare, c. per venerabilem, qui filii sine legitimi: notavi in c. 2. ne clerici, vel monachi.
- g. *Silentium imposuimus*.] Quia ipse R. petebat à milite presentari ad illam Ecclesiam virtute predictæ conventionis.
- 5.
- 6.
- 7.

CAPUT XII.

Idem a Cistren. Episcopo.

Insinuatum est auribus nostris, quod dum Episcopatus tibi commissus vacaret, in Ecclesiis ejus plurimi sunt Clerici b constituti, qui per simoniam dicuntur habere ingressum, & inde infamia respargi. Unde quoniam indignum est, ut in tali crimine, vel tam turpi suspicione remaneant. f. r. per A. f. p. m. quat. si qui fuerint in predictis Clericis, quos publicum sit, & c. notorium simoniacè intrasse, eos ab Ecclesiis taliter acquisitis ap. cess, amoveas: illis autem, quorum crimen non est publicum, & notorium, si publicâ infamiâ laborant cum quinta manu, vel sexta sui Ordinis, infra quadraginta dies post harum susceptionem litterarum, purgationem indicas, in qua si defecerint, beneficiis Ecclesiarum sibi commissarum perpetuò prives, provisorius attentis, ut tales personas ad eorum purgationem recipias, de quibus verisimile sit, quod non debeant alicujus obtentu dejerare.

NOTÆ.

- a. *Cistrensi*.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 12. & post Concil. Later part. 2. c. 15. De Cistrensi, seu Cicestrensi diocesi Angliæ egi in c. 14. de offic. deleg. b. *Institui*.] Per Capitulum, juxta distinctionem adductam in cap. illa, ne Sede vacante. c. *Notorium*.] Quid dicatur notorium, & de ejus effectibus, egi in c. evidentia, de accusat.

COMMENTARIUM.

I. Ex hoc textu sequens deducitur communiter assertio: *Obtinens beneficium simoniacè, pretio interveniente, ab eo removeri debet.* Proinde eam textus in c. 1. 2. 3. & 5. c. si quis objecerit, c. Salvator, c. ex multis, c. fin. 1. q. 1. c. 1. 2. & 3. c. dilectissimi 8 q. 1. c. non satis, c. cum Ecclesia, c. tua, cap. lacobus, hoc tit. c. 2. de confessis, cap. 22 & 59. de elect. extravag. 2. hoc tit. inter communes. Concil. Rhemenf. c. 21. *Quicumque Presbyter per pretium, gradum, & Ecclesiam acquisierit, deponatur.* Turonense sub Carolo, can. 15. *Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur.* Plura Ecclesiæ decreta referunt, Anton. August. lib. 6. epit. tit. 47. & 48. Theoph. tom. 12. tract. mala è bonis, lib. 2. sect. 1. c. 2. Trident. sess. 24. de refor. c. 15. Illustrant ultra congestos in presenti à Barbosa Binsfeldius hic, Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. c. 19. Loth. de re benef. lib. 3. c. 29. Valentis eod. tract. lib. 2. tit. 1. Petrus Gregor. eod. tract. c. 26. Azaio in 99. moral. disp. 4. part. 1. Scortia in select. Pontificum consil. epit. 51. theoremate 86. Borell. in summ. decif. tit. 20. num. 31. Raphael à Torre ad D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. disp. 5. Tamburin. de jure Abbat. disp. 10. q. 1. & 2. Baronius anno 44. n. 88. & anno D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

52. num. 16. Duaren. lib. 6. de sacris Eccles. c. 2. & 3. I. Dartis de benef. sect. 5. cap. 2.

Sed pro dubitandi ratione in presentem assertionem ita insurgo. Per beneficium ecclesiasticum quis consequitur jus ad fructus temporales: sed quoties res, quæ venditur, aliquid temporale habet, etsi spiritualibus sit annexa, non committitur simonia, ut contingit in vasibus sacris, quæ absque ulla labe simoniæ venduntur, ut probat Gibalinus de simonia, quest. 12. consecr. 3. Igitur etsi detur pretium pro beneficio ecclesiastico, simonia non committitur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex c. per laicos 16. q. 7. ubi tantum prohibetur, ne clerici à laicis pretio beneficia accipiant: ergo ab Episcopis, vel aliis ecclesiasticis collatoribus id prohibitum non est. Secundò argumentor ita: Licet præstatur obsequium temporale pro beneficio ecclesiastico consequendo, ut contingit fervientibus in Ecclesia nullo alio pretio, quam ob spem consequendi beneficium, qui licet illud possident, c. consuluit, 74. dist. c. in singulis, 77. dist. & in specie textus in cap. de Syracusana, 28. dist. ubi conventio inita fuit in electione Syracusani Episcopi, ut non prius eligeretur, quam juramento promitteret se ferventurum omnia bona ipsius Ecclesiæ, quod est obsequium temporale. Idem contingit passim in præbendis, & beneficiis, quæ conferuntur cum onere docendi Grammaticam, aut mendendi infirmos, quæ sunt obsequia temporalia, & pretio æstimabilia. ergò non rectè in presenti textu, & antecedenti docetur, præstantem pretium, vel obsequium temporale pro beneficiis ecclesiasticis assequendis, ab eis esse amovendum.

Quà dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod cum beneficium sit jus percipiendi fructus pro ministerio ecclesiastico, committitur in ejus colla-

H 2 colla-

beneficium
commis-
sa.

collatione simonia, si pretium, seu munus à manu, vel à lingua pro ea praestetur, ut fuse docent Lotherius, Gibalinus, & Valensius *supra*: quae simonia tripliciter contingit, & consideratur, videlicet realis, conventionalis, & mentalis. D. Ioannes Vela *de delictis cap. 32. vers. Est autem*. Tiberius Decianus *lib. 5. tract. crim. c. 82.* Reals est cum traditio intercessit ex utraque parte, saltem quoad partem promissorum. Conventionalis est, quae tantum in conventionem deducta fuit, aut quae propter conventionem committitur, de qua egi *in cap. 4. de pactis*. Mentalis est, quae tantum mente concipitur, ut cum quis aliquid spirituale, vel illi annexum animo recipiendi aliquid temporale, vel econtra dat, de qua agemus *in c. fin. hoc tit.* Unde in presenti tantum est agendum de simonia reali circa beneficia commissa, & ejus poenis; & certum est, eam committi, quando praestatur pro beneficio ecclesiastico pretium, seu munus à manu, vel à lingua, *c. Salvator 1. q. 3. latè explicant Lotherius, & Gibalinus supra*, fuse prosequitur modos, quibus simonia committitur in beneficiis, Theophilus *tom. 12. tract. mala è bonis, c. lib. 2. sect. 1. cap. 2.* & qui beneficium mediante hac simonia acquirit, ipso jure majori excommunicatione ligatur, extravag. *Execrabile, de simonia*: quam poenam latè explicant Hallierius *de sacris elect. sect. 7. c. 7. art. 2.* Gibalinus *de simonia. q. 25. per totam*, & insuper provisio, seu collatio ipsius beneficii nulla est, *c. ea quae, cum aliis, 1. q. 5. c. cum Clericis de pact. dist. extrav. cum detestabile*; etiam si ab aliis fuerit commissa simonia sciente, & non contradicente proviso, *c. novis, c. sicut jus, hoc tit.* immò et si ipso ignorante, ut docuerunt Abbas *in c. penult. de elect.* Lessius *de iustitia lib. 2. c. 35. n. 42.* & patet *ex c. insinuatione, c. nobis, ibi. penitus reprobanda, hoc tit.* nam dictio *penitus*, significat nullitatem ipso jure: & ex dicta extravaganti *Cum detestabile*, ubi statuitur absque dispensatione non posse illi pro ea vice beneficium conferri, idque in poenam eorum, qui simoniace illum promovere voluerunt, *d. c. nobis, c. sicut, hoc tit.* ubi dicemus. Si autem adversarius occultè per fraudem pecuniam dederit eo animo, ut talis collatio beneficii nulla sit, subsistit, & valet, *d. c. nobis, c. sicut*: vel si eo expressè contradicente, alius pro eo pecunia det, *d. c. sicut*, nisi postea consentiat approbando factum dantis, ut ex D. Thoma, Panormit. & Navarro probat Scortia *in select. Pontif. Constit. epitome 32. theorema. 86.* Quod si non consentiat approbando factum, sed tantum solvat, quod ejus gratia amicus dedit, ne illius causà damnum sentiat, non peccat, quia solvere ex gratitudine, ne amicus gravetur, non est approbare ejus factum, nec per se malum, ut resolvit Scortia *ubi supra*: obligantem autem se pacto aliquid temporale pro spirituali conferre ex gratitudine, & pretium dantem alicui, ut ipse intercedat apud tertium, qui intercedat pro beneficio sibi conferendo, simoniam committere resolvit P. Mendo *in statera, dissert. 1. quest. 22. c. 23.*

4. Illud valdè difficile est, an post dictam extravagantem, non solum privetur simoniaco beneficiis, in quibus simoniam admisit, verum & aliis jam obtentis. Et ipso jure, absque ulla judicis sententia, beneficiis etiam obtentis eum privari docuerunt Bernard, Diaz *in praxi c. 91.* Duarenus *de sacris Eccles. ministr. lib. 8. cap. 6.* Garcia *de benef. p. 8. cap. 1. n. 40.* plures referens Dianap. 4. *tract. 4. resol. 157.* Basszus *in floribus, verbo Simonia 7. num. 633.* Sed meritò contrariam sententiam ut veniorem

docuerunt P. Suarez *d. lib. 4. de simon. c. 58.* Bonacin. *de simon. disp. 1. q. 7. punct. 2. difficult. 1.* Lotherius *lib. 3. de re benef. qu. 29. num. 161.* Candidus *tom. 2. disput. moral. disput. 18. art. 4. dub. 4.* Gibalinus *de simon. q. 25. n. 3.* & probatur ex vulgari principio, quo docetur, neminem re sua privari ante judicis sententiam, etiam si lex ipso jure poenam privationis imponat, dummodo speciale decretum irritans non habeat: quod probant Alexander *in l. si quis major, C. de transact. Myliger centur 6. observat. 77.* Gaillius *lib. 2. observ. 51. num. 6.* Quare cum privato beneficii antea obtenti contra simoniacum non contineat decretum irritans, ideò non contingit ipso jure: ex quo principio provenit, suspensionis, & depositionis poenas in dicta extravaganti statutas, non irrogari ipso jure ante judicis sententiam, ut docuerunt Suarez *d. lib. 4. c. 56. n. 19.* Indeq; quia specialiter in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. *sess. 15.* cavetur, ut Cardinales simoniaci in electione Summi Pontificis beneficiis priventur, ibi: *eo ipso absque alia declaratione privatus existat*, ipso jure absque ulla judicis sententia beneficiis priventur, ut docent Lessius *de justit. lib. 2. c. 35. dub. 5.* Scortia *in select. epist. Pontif. septim. 50. theorema. 135.* Idem de examinationibus simoniacis cavetur in Concilio Trid. *sess. 24. c. 18.* & docuerunt Suarez *dist. lib. 5. c. 9. n. 17.* Garcia *de benef. p. 9. cap. 2. num. 368.*

Non minus controversum est apud Doctores, an nova Constitutio Pauli II. in dicta extravagante procedat in quacunq; simonia, tam reali, quam conventionali; an verò in reali tantum. Et solum in simonia reali locum habere, constat in illis verbis ipsius extravag. *ibi, dando, vel recipiendo*; praecipue cum in poenis benignior sit interpretatio facienda, *l. interpretari ff. de poenis. l. cum quidam, ff. de liber. et posth.* Deinde quia in dubio verba accipi debent cum effectu, *c. relatum, de Cleric. non resid.* Facit etiam, quia minus peccare videtur promittens, quam dans, cum facilius promittatur quam donetur, *l. Titia 134. ff. de P. O. l. sciendum 19. ff. de adilit. edit.* Et ideò minus puniendus videbatur, *ex l. sancimus, C. de poenis.* Tandem facit Curia Romana stilus, qui vel facit, *c. quam gravi, de crimine falsi, c. ex litteris, de constit.* iuxta quem tantum simoniaco realis privatur beneficiis jam obtentis, ut testantur sententiam hanc docentes Navar. *ad hunc tit. consil. 31. c. seq. Zerola in praxi. p. 1. verbo simonia. §. 9.* Valensius *de benef. lib. 2. tit. 1. n. 19.* Gibalinus *de simon. q. 24. n. 1.* Verum contraria sententia suadet ex sequentibus principiis. Primò quia Paul. *in d. extravag.* statuit, poenas generaliter contra simoniacos, ut constat ex ejus principio, ex quo ratio finalis colligitur, *l. final. ff. de hered. instituen. l. 2. ff. ad Maced. l. Titia 134. §. 1. ff. de P. O.* Illustrat D. Joseph. de Retes *l. 7. opuscul. c. 4.* Sed per promissionem pretii, non minus quam per dationem, simonia committitur, argumento legis *c. generaliter, §. 1. ff. de calumn.* quia promissio & datio parificantur, *l. fin. C. ad l. Falcid.* & in terminis probant textus *in c. super hoc, de renunc. c. 2. confes. c. nobis, hoc tit.* Secundò quia jure communi contra omnes simoniacos, live reales, live conventionales, procedebatur ad privationem beneficiorum per sententiam, *d. cap. 2. de confes. c. cap. per inquisitionem, de elect. cap. insinuante, hoc tit.* Sed omnes poenae jure communi statuta innovatae sunt per dictam extravagantem. Igitur cum Paulus in ea non distinguat inter realem, & conventionalem simoniacum, de utroque accipiendus est argumentum legis

5.
Dilla
Extra-
vaganti
an pro-
cedat in
quatuor,
que si-
monia.

legis i. §. generaliter, ff. de legat. prestand. Tertio quia collatio beneficii per simoniam facta non potest esse in pendentibus, cum sit actus legitimus; sed statim debet subsistere, aut infirmari, ex l. actus, ff. de R. l. cap. 2. de elect. in 6. Penderet autem collatio pure facta cum pacto recipiendi pretium; nam si pecunia solvatur, postea collatio erit nulla, & collator excommunicatus manebit; si vero non solvatur, valida erit, nec manebit collator excommunicatus. Deinde quia emptio, & venditio contrahitur, etsi pretium promissum sit, non verò solutum, princip. Instit. de exemption. & vendit. & per consequens simonia committitur tantum per promissionem pretii, ut expressè docetur in c. ea que 1. q. & hanc opinionem sequuntur Cajetanus in summa, verbo Simonia, Sotus lib. 9. de just. quest. 8. art. 1. Navarra de restit. lib. 2. cap. 2. num. 422. Palacios de contract. lib. 2. cap. 7. pag. 243. Aragon. 2. 2. quest. 100. art. 6. Rebuffus in praxi, tit. de simon. 2. part. cap. 10. num. 35. & 4. part. cap. 11. num. 32. In quo Interpretum dissidio credo discrimen esse constituendum inter pœnas statutas in dicta extravaganti, ita ut quoad nullitatem collationis beneficii per simoniam factæ sufficiat simonia merè conventionalis, nec desideretur realis ex altera parte, saltem impleta; quoad excommunicacionem verò incurramdam Sedi Apostolica reservatam desideretur omnino simonia realis, juxta Curia Romanæ stilum, de quo testatur Casladorus decis. 5. de constit. Gomez in regula de triennali, quest. 12. Scortia de epist. 32. theorem 85. & ita quoad nullitatem collationis, & obligationem dimittendi beneficium per simoniam adeptum, & restituendi pretium, nulla datur differentia inter simoniacos reales, & conventionales, ut facile deducitur ex constitutione Pij IV. relata à Redoano de simon. 4. part. c. 9. num. 8. & ex constitutione Pij V. relata à Flaminio lib. 4. de resign. quest. 2. numer. 11. juxta quam distinctionem facile conciliantur, & explicantur fundamenta utriusque sententiæ supra adducta.

6
AMPLIATUR PRÆSENTIO,
Adeo autem verum est, collationem factam per simoniam, nullam esse, ut possessorialis beneficii etiam per vim spoliatus minimè restituatur; quia ad illud nullum jus acquisivit, cum nec habeat titulum saltem coloratum, qui desideratur ad restitutionem in beneficiis, juxta regulam capituli, 1. de eo qui mittitur: & notatur in cap. in litteris, de restit. spol. docuerunt Flaminio de resign. lib. 3. 4. quest. 2. num. 20. Casladorus decis. 1. de simonia. Nec etiam defenditur regula de triennali possessore, cum in eadem expressè exceptus sit, illis verbis, absque simoniaco ingressu, cum adductis ibi à Gomezio q. 12. Rebut. in praxi, tit. de pacif. possess. num. 198. nisi eo ignorante simonia ab alio commissa sit, quia tunc licet teneatur dimittere beneficium, c. penult. de elect. c. nobis, hoc tit. ul. tamen interim habet titulum coloratum, ideo spoliatus restituitur, & gaudet beneficio regula de triennali, ut resolvunt Flaminio de confident. benefic. quest. 21. num. 37. Redoanus de simonia, part. 4. cap. 12. Ampliatur etiam præsentio, ut simoniacus non solum teneatur dimittere beneficium per simoniam acquisitum, verum etiam ad restitutionem omnium fructuum, ut docuerunt D. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 3. Covarr. Sotus, & Sylvester relati à Guierrez lib. 2. canonic. cap. 23. num. 12. Nec solum fructus stantes, verum & consumptos restituere tenetur, immodò & eos, qui percipi potuerunt à quolibet possessore: nam cum prædonis loco habeatur,

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

cap. ordinationes 1. quest. 1. semper dicitur esse in mora & ad omnia damna tenetur, l. 1. Cod. de his, qua vi, i. final. C. de condit. furtivo l. subrepto, Cod. de furtis, tanquam violentus in valor, cap. gravis, de restit. spol. cap. si res 14. quest. 6. & cum à principio nullum titulum adquisierit, tenetur ad omnes fructus & ad omne lucrum perceptum, & percipiendum, l. si navis 62. §. generaliter, ff. de R. V. l. sed & partus, ff. quod metus causa, l. quemadmodum, Cod. de agricolis, lib. 12. probant latè Hostiensis in summa hujus tituli, num. 6. Redoanus de simon. 4. part. num. 42. Tiberius Decianus Tract. crimin. lib. 5. c. 87. num. 5. ille verò qui per simoniam ab alio commissam beneficium obtinuit, illud cum suis fructibus à tempore sententiæ perceptis restituere tenetur, cap. de regularibus, cap. ex insinuatione, c. nobis, hoc tit. perceptos verò ante sententiam restituere tenetur, si extent, consumptos minimè, quia bonæ fidei possessor extantes tantum fructus restituit, l. certum, ff. de R. V. Teneatur etiam simoniacus beneficium dimittere, & fructus restituere in foro conscientia, ante illam judicis condemnationem, quia licet pœna ipso jure imposita pro aliquo delicto non debeat in foro conscientia ante judicis declarationem, ex Glossa communiter recepta in cap. fraternitas, 12. quest. 2. Cenedo ad Decretum, collect. 2. num. 3. Morla in empor. tit. 1. q. 2. tamen ubi à principio impeditur prima dominii, vel tituli translatio, ut in præsentis casu, non est necessaria judicis declaratio, quia non est propriè pœna, sed effectus injustæ acquisitionis. Aragon. in 2. 2. quest. 110. ar. 6. Hi tamen fructus restitui debent futuro successori, ad quem fructus vacantis beneficii spectant, cap. cum vos, de offic. Ordin. cap. præsentis, eod. tit. in 6. cap. quia sape, de electione, eod. lib. ideo si simoniaco Summus Pontifex conferat idem beneficium, poterit retinere eosdem fructus, quia sibi tanquam novo successori debentur, ut probat Navarra ad hunc titul. consil. 34. num. 5. & consil. 70. num. 5.

7.
TRADITUR RATIONE DEDENDI.
Ratio cur tot Ecclesiæ canonibus damnata sit collatio beneficiorum, pretio accedente, ex eo provenit; nam cum per beneficium ecclesiasticum concedatur jus percipiendi fructus propter ministerium spirituale, & ita res Ecclesiastica sit, non potest vendi absque labe simoniæ, aut distrahi pretio accedente. Accedit, nam ad beneficia ecclesiastica illi admittendi sunt, qui litteris, & virtutibus pollent, c. grave, de præbend. sed si propter pretium beneficia conferantur, indigni, & quibus merita non suffragantur, tantum ad ea admitterentur, ut docet D. Gregorius lib. 7. epist. 110. agens de beneficio obtento per simoniam, ibi: Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sit debita discussio; sed ille solummodo dignus, qui pretium suffecerit, estimaretur. Unde in omnibus benè concordatis Republicis improbatum fuit præcipuè, officia publica pretio acquiri. Plato lib. 8. de Republic. ajebat, absurdam esse Reipublicæ constitutionem, in qua principatus venduntur. Valerius Maximus lib. 4. de paupertate, ajebat, nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecuniâ licere. Aristot. lib. 2. Polit. c. 9. ibi: Turpe est ministeria publica venalia facere. Et de Nerone refert Tacitus lib. 13. annal. quod cum optimæ spei juvenis esset, curiam ingressus egregia multa facturum se esse promisit, & inter alia nihil in penatibus suis venale, aut ambitiosum esse permissurum. Nam si similia officia venalia fiant, ingentia mala Reipublicæ sequuntur, D. Chrysostomus in epist. Pauli ad Ephes. cap. 6.

H 3

ibi;

ibi: dignitates factæ sunt venales, mille hinc mala nascuntur. Eleganter Lampridius in vita Alex. Severi, ibi: Honores juris, gladiique nunquam vendi passus est, dicens: Necesse est, ut qui emit, vendat. Ego non patior mercatores potestatum, quod si patiar, damnare non possem. Erubescio enim punire eum hominem, qui emit & vendit. Venustè Seneca de beneficiis cap. 9. Provincias spoliar, & numerarium tribunal, audita utrimque licitatione, alteri addici, non mirum, quando qua emeris, vendere gentium jus est. Senecam imitatus est Salvianus l. 4. de gubernat. Dei. Quid enim omnium aliud dignitas sublimium, quam proscriptio civitatum. Ad hoc enim honor à paucis emittitur, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt. Commercium nesciunt, & solutionem sciunt. Præcipuè enim virtus, & scientia negliguntur. D. Gregor. lib. 7. epist. 114. ibi: Vbi non merita, sed pecunia suffragantur, velut ut nihil sibi gratias, nihil sibi defendat industria; sed totum auri prophanus amor obtineat. Et licet ipse qui pretio beneficium, aut officium obtinuit, bonis moribus præditus sit; tamen semper pernitiosa res est. Leo Magnus epist. 87. ibi: Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus, atque actibus non offendat, ipsius tamen initio sui est pernitiosus exemplo. & difficile est, ut bono peragatur exitu, qua malo sunt inchoata a principio. Latè illustrant Solorzanus de jure Indiarum to. 2. lib. 5. c. 5. n. 101. Oñaldus ad Donel. lib. 17. c. 7. Petrus Gregorius de Republic. libr. 4. capit. 5. numer. 27. & libr. 7. capit. 13. & libr. 13. capit. 16. Simanchas eod. tract. lib. 6. c. 16. & 17. Junius 99. Politicar. qu. 12. Bobadilla lib. 1. Polit. c. 14. n. 15. Fragosus de Regim. Christ. Reipub. part. 1. disp. 2. lib. 2. §. 2. Anonymus contra Machiavel. l. 1. fol. 17. Araujo in 99. moral. tit. de statu civili disp. 8. Meritò ergo tot Ecclesiarum canonibus collatio beneficii pretio facta irritatur, & tam acerbis pœnis puniuntur, qui pretio, seu munere beneficium ecclesiasticum adepti fuerunt.

8.
DISSOL-
VITUR
DUBI-
TANDI
RATIO.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet per beneficium ecclesiasticum adquiratur jus ad fructus temporales acquirendos, non potest hoc jus separari à ministerio spirituali, à quo nascitur, & propter quod confertur: quare in ejus venditione necessariò committitur simonia; unde Pontifex, qui potest proventus ipsos, utpote eorum Dominus, ab officio spirituali separare, poterit ipsos sine beneficio retinere, aut cui voluerit, vendere, seu donare, ut probat Gibalinus de simonia qu. 20. consuet. 1. qui inde infert, in capellaniis, hospitalibus, pensionibus, quæ non habentur pro beneficiis ecclesiasticis, quia nec per institutionem conferuntur, nec pro ministerio ecclesiastico dantur, simoniam non committit; quod etiam docuerunt Castropalao in opere Moral. tract. 17. disp. 3. punct. 13. n. 14. Gonzalez ad regul. 8. Cancel. glossa 5. nu. 25. Idem resolvit Gibalinus de commendis Ordin. militar. quod & plurius relatis probat P. Mendo de ordinibus militaris disput. 1. num. 233. et si contrarium teneat Araujo in 99. moral. tract. 1. qu. 7. num. 30. Hoc etiam sensu vasa sacra vendi possunt absque labe simoniæ, quia non ita videtur conjungi sanctitas per consecrationem, ut separari nunquam possit, quia hæc omnia sunt antecesser connexa spiritualibus, & illæ connexiones non admittunt astimabilitatem, quam prius habebant, nec ex ipsorum venditione sequitur necessariò simul vendi

consecrationem, aut aliquid sacrum, ut sacrum est reduplicativè, sicut contingit in his, quæ sunt, vel concomitanter, vel consequenter spiritualibus connexa. Nec obstat textus in dist. cap. per laicos; nam licet ibi specialiter prohibeatur recipi beneficium à laico, non ideo infertur, ab ecclesiasticis licere; sed quia in eo de laicis tantum agebatur, ideo nulla mentio fit collatoris ecclesiastici. Nec obstat augmentum deductum ex dist. cap. consuevit, cap. in singulis; nam discrimen constitutum est inter servitium temporale, & spirituale; nam ob servitium spirituale Ecclesiarum impensum à clericis minoribus licet illis beneficium ecclesiasticum conceditur, dist. cap. consuevit, cap. in singulis; ob servitium temporale Episcopo collatori, vel alii simili impensum, non ita beneficium ecclesiasticum conceditur, cap. sunt qui 8. quest. 1. Qua distinctione accipiendi sunt textus in c. quid proderit, cap. bene 61. distinct. cap. si officia, c. hoc ad nos 69. dist. Nec obstat augmentum deductum ex dist. cap. de Syracusana, cui obstat videtur textus in cap. talia 8. quest. 3. ubi asseritur simoniam committi exigendo ab electo talem cautionem de indemnitate rerum. Pro cuius difficultatis solutione discrimen constituendum est inter eam cautionem, ad quam præstandam tenetur eligendus; & inter illam, ad quam non tenetur. Primò namque casu etiamsi cum jurejurando præster cautionem illam, non committitur simonia, quia talis cautio annexa est ipsi electioni, & quoties actus per se bonus est, non efficitur malus ex modo efficiendi: at verò si cautio præstari solita non est, nec ipsi electioni annexa jam reperitur, præstari non potest pro beneficio assequendo, dist. cap. talia 8. quest. 1. quo modo etiam respondendum iis est, quæ expendebamus de beneficio alicui collato cum onere docendi Grammaticam, aut curandi infirmos: nam quoties tale obsequium temporale annexum est beneficio, non autem tempore collationis in pactiōnem deductum, nulla committitur simonia, quia tale onus, etsi temporale, annexum est beneficio: at verò si non est annexum, sed tempore electionis pactum initum est ut accipiat beneficium, & teneatur Grammaticam docere, aut curare infirmos, simonia committitur, ut docent Victoria in relect. de simon. n. 6. Gibalinus eod. 17. quest. 16. consecr. 13.

Sed supra traditis obstat textus in cap. ad audiendam, el. 2. de rescriptis, in illis verbis: Litteras venditas; ubi cum proponeretur Honorio III. Petrum litteras impetrasse ad præbendam in Ecclesia Bituricensi assequendam, & eas vendidisse pro pensione, ac demum ad Sedem Apostolicam accederet, ut novum rescriptum impetraret, non factâ mentione prioris pro alia præbenda in alia Ecclesia obtinenda, Pontifex improbat tale factum; non quia vendidit litteras pro pensione, sed potius quia mentionem non fecit prioris rescripti: igitur quia licitum est vendere beneficium, seu jus ad illud assequendum. Pro cuius expositione dicendum est cum Panormitano ibi, quem sequitur Gibalinus de simonia quest. 14. consuet. 7. primò non constituisse Pontifici, quomodo fuisset illa pensio imposta, an ex pacto renunciandi litteris Apostolicis, an verò gratuito ab Ecclesia, & Episcopo post renunciationem litterarum. Secundò satis improbare negotiationem illam Pontifex, dum eam venditionem litterarum dicit omnino improbandam; & sic parum interest, quod non expresse sit, simoniacam labem eo casu admittam esse.

CAPUT

9.
EXPO-
NITUR
CAP.
AD AUDI-
ENTIAM
DE RE-
SCRIPTIS.

CAPUT XIII.

^a Idem.

UT nemo presbyterorum ^b xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, immò detrimentum spirituale à quocunque publicè peccante, vel incestuoso accipiat, ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celet, nec pro respectu cujusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet, nec à quoquam pœnitente, aut gratiâ, aut favore, vel minùs dignè cœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, vel quocumque livore dignè pœnitentem à reconciliatione removeat; quia utrumque simoniacum est.

NOTÆ.

1. ^a *Idem.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 13.* nec amplius in inscriptione exprimitur, sed in præfati refertur capitulum 13. Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, quod extat inter ejus capitula tom. 21. *Concil. in hæc verba: Ut nemo Presbyterorum xenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immò detrimentum spirituale à quocunque publicè peccante, vel incestuoso accipiat, ut nobis, vel ministris nostris peccatum illius reticeat: nec pro respectu cujusque persona, aut consanguinitatis, vel familiaritatis alienis peccatis communicans hoc nobis, vel ministris nostris hoc innotescere detrectet, nec à quocunque pœnitente, vel gratiam, vel favorem, aut munus suscipere presumat, ut minus dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocumque livore alium quemlibet dignè pœnitentem à reconciliatione removeat, quia hoc simoniacum, & Deo, & hominibus abominabile est.* Et idem Hincmarus in capitulis Archidiaconis datis anno 874. *can. 3. cavit, Ut à Presbyteris xenia non accipiat, quatenus eorum mala fama cooperiatur.* Et *can. 9. Sollicitè provide, ne vos, vel Presbyteri negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel post reconciliationem eos negligatis, quod simoniacum est.* Idem repetitum reperitur in Concil. Frisingen. celebrato anno 1440. *can. 20.*
^b *Xenium.*) Id est donum, ut exposui in *cap. 1. de consuet.*

2. ^c *Pœnitentem.*) A pœnitentia qualibet pretii acceptio aliena debet esse: tum quia sacramentum est, tum quia ad instar judicii habetur, & sacerdotis manus puras esse oportet, ne clementiam, ac impunitatem scelerum vendere, & libertatem peccandi videatur subtrahere: legimus tamen aliquando impunè ab aliquibus redemptum pœnitentiæ, & interdictæ communionis spatium, ut apud Gregorium Turonensem *lib. 5. cap. 36. Nautinus Comes communionem pulsus, ad eandem iterum redit, favoribus Episcopis, quos premiis, atque adulatione corruperat.* Et *lib. 2. Capitulum. tit. 38.* legitur, quosdam Episcopos sacerdotum reatus solitos fuisse pœnitentiarum exaltatione vindicare, quod Imperator eò loci fieri prohibet. Et in veteri canone falsò Concil. Illiberit. assignato à Burchardo *lib. 19. Decreti, cap. 75.* & ab Ivone *part. 15. cap. 88.* ita legitur: *Qui in quadragesima ante Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium, videlicet 25. solidorum, ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat.*

COMMENTARIUM.

Circa actum spirituale omisum pro temporali pretio non consentient Interpretes, an simonia sit, vel non: Et eo casu simoniam committi, probari videtur in hoc textu, cujus auctoritate docuerunt, in pura ommissione actus spiritualis, pretio, aut favore, simoniam committi. Glossa, Panormit. & Felinus, Paludanus in 4. dist. 25. *quest. 5.* Contrariam verò sententiam, videlicet non committi verè, sed improprie simoniam, secundum quandam similitudinem, existimant Innocentius, Hostiensis & Joannes Andreas, Victoria *relect. 2. de simon. Aragon. 2. 2. quest. 100. art. 1.* Binsfeldius in *præfati*, qui textum hunc accipiunt de simonia similitudinaria, & impropria. Sed hanc quæstionem variis distinctionibus adductis explicant Barbosa *hic*, Gibalinus *de simon. quest. 6. consuetar. 12.* juxta quorum doctrinam sciendum est, Alexandrum in præfati duas suæ decisionis partes proponere. In priori parte duos decedit casus. Primus videlicet, est quando presbyter, idest parochus, aliquod emolumentum temporale recipit à publico peccatore, ut Episcopo, vel ejus Vicario celet peccatum illius. Secundus, cum ipse propter consanguinitatem, vel familiaritatem alicujus ejus peccatum celat, ne innotescat. Quibus casibus certum est, presbyterum peccare contra officium, justitiam, & charitatem. Vnde turpiter accipi pretium pro fure non revelando, aut servo fugitivo non indicando, docetur in *l. 4. §. 1. ff. de condi. ob turpem.* Attamen his duobus casibus nulla proprie committitur simonia, nisi in tali occultatione utatur parochus aliqua potestate spirituali. In secunda parte deciduntur ab Alexandro alij duo casus. Primus est cum presbyter peccatorem non verè pœnitentem propter gratiam, & favorem ad reconciliationem admittit, ut ita testimonium reconciliationis ferat. Secundus cum ipse parochus propter favorem, aut odium removeat à reconciliatione pœnitentem. Quibus duobus casibus verè simonia committitur, cum potestas spiritualis exerceatur, aut omitatur ob pretium, aut favorem. Vnde illa verba Alexandri, *quia simoniacum ad utrumque,* ad hos duos casus in secunda parte relatos referunt Suarez *lib. 4. de simonia. cap. 22. num. 14.* Barbosa *hic, num. 2.* Et si adhuc infes, ad totam constitutionem referenda esse prædicta verba, supponendum est, prioribus casibus ultra ommissionem intercessisse exercitium aliquod spiritualis potestatis, ut docuit Gibalinus *supra, consuet. 3.* qui inde infert resolutionem ad varios casus, in quibus propter ommissionem actus spiritualis simonia committitur.

CAPUT XIV.

Idem Venerabili fratri nostro ^a Vigoren Episcopo, & dilecto filio de Pateiar, Priori.

Querelam monachorum de ^bAlteia nobis transmissam accepimus, quod cum ipsi quoddam ^cmanerium, quod dicitur Vella, cum ^dpertinentiis suis, & Ecclesiam de Ganonum a monachis de ^eCadonio sub annuo censu xv. librarum fuissent adepti, & inde chartam ab ipsis monachis habuissent: quidam Prior eorum Capitulo inconsulto prescriptum manerium, Ecclesiam, & chartam de Cadonio acceptam pecuniâ resignavit. Unde quia presati monachi de Acra se conqueruntur injustè gravatos, & nobis imminet corrigendum, si quid minus rationabiliter attentatur, causam ipsam experientia vestra committimus, presentium vobis auctoritate mandantes, quatenus partibus ante vestram presentiam convocatis, qua hinc inde proposita fuerint, diligentius audiat, & prescriptam causam sublato appellationis remedio, concordia, vel iudicio terminetis, provisiuri, quod sicut emi non potuerit, ita etiam nec redimi. Si verò monachi de Cadonio legitime citati ad presentiam vestram accedere, & iudicio vestro stare contempserint, vos presdictos monachos de Acra in possessionem eorum, de quibus controversia vertitur, contradictione, & ap. cess. inducere minimè differatis, nec ipsos exinde permittatis absque ordine g. iudiciario molestari. Si verò uterque vestrum his exequendis interesse non poterit, alter ea nihilominus exequatur.

NOTÆ.

^a **Vigoriensis**) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 14. post Concilium autem Lateranense, part. 2. cap. 12. habetur *Fratri R. & Vigoriensi Episcopo*. Sed retinenda est presens inscriptio. De Vigoriensi Ecclesia egi in cap. 9. de electione.

^b **Alteia**) In hac sexta collectione legitur de Acra, sed malè, cum causa hæc disceptaretur cum monachis de Acra. Unde non poterat eorum Priori de causa hac committi: post concilium Lateranense legitur de Pantin, & alibi legi de Panteria, notavit Ant. August. in presenti. Sed cum nullibi reperissem monasterium huius nominis, credebam legendum esse de Prætelia. Præteliense enim monasterium est in Neustria optimo loco situm, prope portum maris, & pontem Adimarii: de quo Ordericus Vitalis lib. 8. hist. sue Ecclesie, pag. 709. Iuretus in notis ad epistolam 143. Ivonis. Propter vicinitatem enim huius monasterii cum Cadomeni presentis causæ cognitio potuit committi Priori illius monasterii.

^c **Manerium**.) Maneria, seu manerium, est habitatio cum certa agri portione: quo modo accipitur apud Innocentium III. lib. 3. epistolam 5. ibi: *Civitates, villas, castra, maneria, que ad dotallium presata Regine spectare noscuntur*. Apud Rogerium tom. 1. annal. in vita Guillelmi Senioris. *Et per easdem divisas, quibus ipse, sive ante eum Toftius vel Stuardus ipsum manerium tenebant*. Apud alios Angliæ scriptores, quos refert Vossius de vitis sermonum lib. 3. cap. 24.

^d **Pertinentiis**.) Quatenus Ecclesia, seu ius patronatus possit alienari cum universitate bonorum, exposui in cap. cum Bertholdus, de iure patronatus.

^e **Cadonio**.) Cadonium monasterium est ordinis Cisterciensis in Sarlatensi diocesi, de quo in presenti agi nonnullos credidisse refert Manrique tom. 1. annal. Cisterciensis anno 1120. cap. 1. num. 2. à

quibus rectè ipse discedit; nam quomodo Vigoriensi Prælo Angliæ poterat delegari cognitio causæ, quæ in Gallia vertebatur? Quare dicendum est, in presenti agi de monasterio Cadomeni Normanniæ; cuius originem, & foundationis causam referunt Polidor. Vergil. in histor. Angliæ, Vuillelmus Gemeticen. monachus lib. 7. histor. Normanniæ. cap. 26. his verbis: *Vuillelmus Dux, dum à quibusdam religiosis sepius redargueretur, eo quod cognatam suam sibi in matrimonio copulasset, missis legatis ad Romanum Papam super hac re consuluit. At ille sagaciter considerans, quod si divortium fieri iuberet, fortè inter Flandroses, & Normannos grave bellum exurgeret, maritum, & conjugem à reatu absolvit, eisque penitentiam injunxit. Mandavit enim, ut ab eis duo cœnobita conderentur, in quibus pro ipsis ab utroque sexu Deo sedulo preces offerrentur: quod illi grate opere compleverunt; nam apud Cadomum una constructa est Abbatia in honorem sanctæ Trinitatis; altera verò in honorem sancti Stephani Protomartyris.*

^f **Redimi**.) De alia redemptione Ecclesiarum olim à monachis suscitata, egi in cap. 2. de statu monach.

^g **Ordinario**.) Juxta distinctionem, an transfacto anno, vel non, compareat, quam adduxi in cap. quoniam, ut lite non contest. Presenti decisioni consonat textus in cap. final. hoc tit. in 5. compil. ubi Honorius III. ita Pistoriensi Episcopo scribit: *Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod cum olim inter conventum monasterii sancti Bartholomæi Pistoriensis, ex parte una; & Abbatem sancti Ioannis Parmensis ex altera, super eo, quod dictus Abbas presatum monasterium sibi subesse dicebat, coram Archiepiscopo, & conjugibus suis, auctoritate Apostolica questio verteretur, nominatus Abbas pendente lite coram iudicibus memoratis, omnesque quod assererat in presdicto monasterio se habere, ac idem monasterium tibi de facto, cum de iure non posset, sicut convenis, non attendens, quod ecclesiastica, ac monasteria*

seria distrabi nequeant sine vitio simoniae, tanquam vile aliquid, pro certa vendidit pecunia quantitate, in ipsorum, & eius monasterii praeiudicium non modicum, & gravamen. Postmodum verò tu, unde miramur plurimum, & movemur, non considerans cum quanta severitate Dominus de templo expulerit vendentes pariter & ementes, occasione huiusmodi venditionis a praemisso conventu juratoriam, & fideiussoriam cautionem per violentiam extorsisti, ut venditionem ratam haberet eandem, & contra eam de cetero non venirent, in eos, qui contra venditionem ipsam veniret, seu consilium, vel auxilium super hoc conferrent eisdem, excommunicationis sententiam

temeritate propria promulgando. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut sicut venditionem sancti Thome Pistoriensis sic & istam irritare misericorditer dignaremur. Nos ergo fraternitati tuae deferre, quantum cum Deo, & honestate possumus, cupientes, devotioni tuae mandamus, quatenus his, quae per te minus providè facta sunt, in hac parte revocatis provide per te ipsum sepefatum conventum à juramentis, & fideiussores eorum à fideiussionibus, quas ab ipsis propter hoc diceris extorsisse, absolvens penitus, & praefatam excommunicationis sententiam sine qualibet dilatione, ac difficultate relaxans, ipsos occasione huiusmodi de cetero non molestes.

CAPUT XV.

Idem.

EA, quae de avaritia, & cupiditatis radice proveniunt, & in speciem simoniae pravitatis erumpunt, sunt penitus extirpanda: & quae de spinis & tribulis procedunt: falce Apostolici moderaminis sunt refecanda. Audivimus, quod nummos pro christmate ab Ecclesiis extorquetis, quos nunc e cathedraticum, aliquando à paschalem praestationem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia verò hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus praetextu alicujus consuetudinis, vel praelationis praescriptos denarios nullatenus exigatis; pro certo scituri, quod si hoc praesumpseritis, periculum ordinis & dignitatis poteritis non immeritò formidare.

NOTÆ.

I. ^a Idem. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 15. Sed tam littera, quam inscriptio restituenda est ex cap. eanoscitur de censibus, ut jam ibi notavi.

b Avaritia. Quae procul debet esse ab Ecclesiae ministris, ut probant eruditè Aneas Robertus lib. 1. rer. judic. cap. 3. Savarus in notis ad Sidon. lib. 1. epist. 8. Mornac. in l. 1. § 3. Cod. de sacros. Eccles. l. Lucius de arrestis, sive placitis Curiae, lib. 1. tit. 3. quam & in sacerdotibus Gentilium reprehendit Tertul. in apolog. cap. 15. in hac verba: Sed enim agri tributo honorabiliores; hominum capita stipendio censa ignobiliora: nam haec sunt nota captivitate. Dii verò, qui magis tributarii, magis sancti, immò qui magis sancti, magis tributarii majestas quae suaria efficitur, circue cauponas religio mendicantis: exigitis mercedem pro solo templo, pro aditu: sacris non licet Deos nossegratis; venales sunt. Et cap. 44. Non enim sufficimus, & hominibus, & Diis vestris mendicantibus opem ferre.

c Cathedraticum. Alia est pensitatio dicta cathedraticum, quae iuste exigitur à Praelatis Ecclesiae, de qua egi in cap. congruente, de officio ordin.

2. d Paschalem praestationem. Mutantes nomen, ut simularent simoniacam exactionem; ut etiam Athenienses tributorum exactionem mitiori voce temperantes, non tributum sed regimen civitatis appellari voluerunt. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5. & de usurario aiebat Sanctus Maximus: Erubescit nomen usurae, sed peccatum usurae non erubescit.

COMMENTARIUM.

3. FERIA quinta majoris Hebdomadae christma conficiendum esse per Episcopos in propriis Ecclesiis, probavi in cap. quando, de consuet. & tunc omnes Parochi debent illud recipere à proprio Episcopo, non ab alieno cap. presbyteri, 95, dist. cap.

presbyteri, de consecrat. dist. 4. Concil. Vornat. can. 60. Concil. Francicum, idest in Francia celebratum sub Carolo Magno Principe, & Bonifacio I. Archiepiscopo Moguntino, & martyre, Legato Zachariae Papae: in cena, ait. Domini semper novum christma Presbyter ab Episcopo querat, ut Episcopus vestris assistat castitatis, & vitae, & fidei, & doctrinae illius. Idem omnino Concilium Suesionense apud quintum Medardum, sub Duce Francorum Pepino, & Childerico Rege, ejusdem est sententiae, & Concil. Aquisgran. 2. cap. 8. Capitulum 2. Statuimus, ut semel in anno, id est in quinta feria, quae est in cena Domini, unctio olei sancti, in quos salvasio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est: sed omni devotione juxta traditionem Apostolicam, ac statuta Decretalium, in quibus de eadem praecipitur peragatur, & illud reverenter deferri ad proprias parochias. Concil. Valense 1. can. 3. ibi: Christma in medio Quadragesima presbyteri debent petere, & reverenter cum christmario, & linteo, sicut reliquia Sanctorum, deportari debet. Altilliodor. can. 6. Arelat. 4. sub Leone, can. 18. Illustrat Vicecomes lib. 2. de ritib. Confirm. cap. 25. nec ab alio contingi potest, quam à sacerdote. Concil. Arelat. 4. dicto can. 18. ubi ratio assignatur his verbis: Genus enim sacramenti est, quod non ab aliis, nisi à sacerdotibus, contingi debet: quod si fecerint, honore priventur. Cum ergo presbyteri ipsi acciperent christma ab Episcopis, ut venire cepit, ut à singulis sacerdotibus, qui christmatis accipiendi causa ad Ecclesiam Cathedralis accedebant, tremisses exigentur, seu aliqua quantitas pecuniae pro expensis factis in oleo, & balsamo. Quam consuetudinem viguisse in Hispania, constat ex Concilio Brachar 2. can. 16. ibi: Placuit, ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per Ecclesias datur, quia à singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur, ne forte, quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritus conficitur,

cratur, sicut Simon Magus donum Dei pecuniâ voluit emere, ita nos venundare damnabiliter videmur. In Gallicana Ecclesia eandem corruptelam irrepisse constat ex privilegio Landerici concessio presbyteris consistentibus intra territorium monasterii sancti Dionysii Paris. ubi ita legitur: *Si necessitas eis fuerit, ex nostro, & successorum nostrorum Episcopatu sine pretio chrismâ, & oleum suscipiant.* Et lib. 1. veter formul. ita habetur: *Chrismâ annis singulis, si voluerint postulare, pro reverentia loci sine pretio concedat.* in alio Privilegio relato à Bignonio in notis ad ipsum caput 1. ita cavetur: *Ambianensis Ecclesia Episcopus in Dei nomine benedicat, & chrismâ sacrum conficiat sine pretio, & annis singulis pro reverentia Sanctorum sine ullo pretio muneris causâ concedat.* Frustra autem hoc tot privilegii concederetur, nisi mos fuisset persolvere aliquod pretium pro chrismate, ut considerat Lemaitre lib. 2. de jurib. Episc. cap. 5. Unde variis canonicis Ecclesie PP. hanc corruptelam damnarunt, & aliquid recipi pro chrismate quolibet pretextu vetuerunt Concil. Barcinon. sub Recharredo can. 2. ibi: *Ut cum chrismâ presbyteris diocesanis pro neophitis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Cabilon. sub Carolo can. 16. *Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiqua esse in eorum Ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrismâ faciendum, sive pro luminaribus, Ecclesia concinnandis binos, vel quaternos denarios presbyteri darent. Unde omnes statimus, sicut pro dedicandis basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo sive luminaribus emendis, nihil presbyteri chrismâ accepturi dent.* Meldense can. 45. *Nemo Episcoporum, vel quilibet minister ecclesiasticus propter sacrum chrismâ aliquid muneris accipiat, nec denarios, vel qualibet munuscula, quae per ministros Episcoporum inordinabiliter exigantur.* Aquisgran. 2. sub Ludovico, p. 1. c. 5. Emeritense can. 9. *Quisquis ab Episcopo sanctum in potestate presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit chrismâ, nihil ab eis beneficii causâ tollere, aut petere presumat.* Oxoniense, can. 21. *Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, & c. absurdum esse judi-*

cantes, quod de cetero pro chrismate, vel oleo aliquid exigatur, cum toties hoc prohibitum esse reperiat. Synodus Romana in cap. final. 1. q. 3. cap. non satis, cap. in tantum, cap. ad nostram, de simonia. Illustrant Vicecomes de ritibus baptismi lib. 5. cap. 5. Bignonius in notis ad dist. cap. 1. veterum formul. Herrera in orig. divini officii, lib. 1. cap. 2. Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 4. Bosquetus in notis ad Innoc. lib. 2. epist. 45. Sed in hac pretii acceptione quaerit Gibalinus de simon. 9. 12. consecr. 1. an simonia committatur. Et resolvit, propriè simoniam non dari, nec ut talem in praesenti improbari, sed tantum ad tollendam avaritiam, & simoniae suspicionem id prohibuisse Alexandrum: & ita concludit, chrismâ esse materiam tantum simoniae ecclesiasticae. Sed cum PP. dicti Concilii Brachar. expressè talem exactiorem pretii, ut simoniam damnent; quia lato modo in chrismate contineri sacramentum dixerunt PP. Concil. Arelat. 4. can. 18. non audeam negare, simoniam propriè in praesenti dari, cum vendatur res consecrata ad conferendam Spiritus sancti gratiam principaliter, ut docuerunt PP. dicti Concilii Brachar. 2. Nec obstant si dicas, vas consecrata ad divina ministeria posse vendi absque labe simoniae, ut notavi supra in cap. indicatum; & probat Aravio in 99. moralibus, diff. 14. part. 2. art. 3. ergo similiter & chrismâ, cum tantum contineat consecrationem ab Episcopo factam. Nam respondeo chrismâ annexum esse spiritualibus in primo gradu; nam cum consecratio etiam resinanitas quodam modo afficiat virtute supernaturali, ut docent D. Thomas 3. p. 2. q. 83, art. 3. ad 3. & 4. Turricremata in c. Ecclesiis de consecr. dist. 1. num. 2. Sotus in 4. dist. 13. quest. 2. art. 3. rectè fit, ut temporale illud balsamum, & oleum admixtum consecrationi, eo ipso censeatur annexum per confusionem, ac proinde nullo modo absque simonia vendi possit; in vasibus verò consecratis non est admixta consecratio ipsi argento, seu auro, sed tantum formae vasorum: & inde est, quod sublara forma evanescit consecratio. Sylvester in summa, verbo Calix. Quocirca sicut argentum, & aurum est separabile à consecratione, ita ejus venditio nullam inducit simoniam.

CAPUT XVI.

Alex. III. a Breare Ricardo.

EX diligenti tua relatione nobis innotuit, quod G. Cant. Archidiaconus te multis promissionibus illexit, & quorundam Magistrorum virorum commotione, ac sollicitudine induxit, ut ei^b hominum faceres, & fidelitatem praestares, ita quidem, quod ipse tibi beneficium ecclesiasticum annis singulis exhibere deberet. Unde quoniam huiusmodi obligatio illicita satis, & contra salutis tuae, nec non & suae profectum existit, sicut tua discretio nequaquam ignorat, à nobis super hoc absolvi instantius, & suppliciter postulasti, adjiciens, quod ab eo deinceps nihil omnino beneficio constituto acciperes. Quocirca nos tuam in hac parte petitionem honestam, & favorabilem attendentes, te praefati^c Archiepiscopi hominio, & fidelitate, praesertim cum hæc taliter praestita, ^d divinis, & ^e humanis legibus contraire noscantur, ex beati Petri, & nostra etiam auctoritate absolvimus, ita quod ab aliquo Episcopo, sive sacerdote discretio penitentiam inde condignam recipias, & Deo secundum ejus consilium studeas reconciliari. Verum ne aliqua propter hæc notâ, vel ^f infamiâ possis respergi, absolutionis nostrae litteras tibi duximus indulgendas, quibus contra latrantium morsus tutus, & praemunitus existas, & quas in testimonium indulgentiae nostrae valeas demonstrare.

NOTÆ

NOTÆ.

I. ^a **Reare.**) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 19.* Sed legendum esse *Barenfi Richardo*, jam notavit Ant. Augustin. in præfenti, & parum interest, quodnam ex his nominibus retineatur.

b **Hominium.** Homagium legitur in hac sexta collectione: quid autem intellit inter hominum, & homagium, infra dicemus.

c. **Archiepiscopi.**) Legendum est, *Archidiaconi*, ut habetur in hac sexta collectione.

d **Divinis.**) Quatenus simonia sit jure divino prohibita, & quibus in casibus, exposui supra in cap. cum in Ecclesia.

e **Humanis.**) *L. si quemquam, Cod. de Episcop. & cleric. authent. de sanctiss. Episcopis, circa principium, §. sed neque, collat. 9.*

f **Infamia.**) Infamiam incurrunt quicumque sacrilega præsumptione ad ordines, vel dignitates ecclesiasticas se promoveri procurant: quam infamiae poenam irrogarunt Imperatores in *L. si quemquam, Cod. de Episcop. & cleric. quæ extat, in cap. sane 25, quæst. 5.* ubi ita sanxerunt: *Sanè si quis hanc sanctam, & venerandam Antistitis Sedem pecunia intervenitu subisse, aut si quis ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & lese majestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotii retrahatur: nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetua quoque infamia damnari decernimus, ut eos, quos per facinus inquinat, & equat, utrosque similis pena committetur. Eandem infamiae notam statuit Innocentius II. relatus in cap. si quis prebendas 1. quæst. 5. quibus decretis severior videtur Athalarici constitutio apud Cassiodorum lib. 9. Epist. 15. quæ insuper addit, ut notâ infamiae supersites, id est filios, & hæredes inurat.*

COMMENTARIUM.

2. **EX** hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Pro spiritualibus assequendis homagium fieri non debet. Probant eam textus in cap. final. de R. I. cap. 2. cap. nimis, 30. de jurejur. Synod. Claramont. sub Urbano II. can. 17. Ne Episcopus, vel Sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus laicorum fidelitatem faciant. Referunt Baronius anno 1095. Juretus ad epist. 190. Carnotens. Illustrant ultra congestos à Barbofa in præfenti, Citonius ad tit. de feud. & in cap. ex parte, de cleric. non resid. in 5. compil. Garcia de beneficiis, part. 1. cap. 2. Boëtius Epon. tom. 1. q. heroicarum, tit. de Regalibus, num. 96. Binsfeldius in præfenti, Roussellus lib. 2. hist. Pontif. jurisd. cap. 5. num. 26. P. Marcha lib. 8. concord. cap. 21.

3. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: ut simonia committatur, debet dari aliquid pretio æstimabile pro re spirituali, ut pro diffinitionis expositione adduxi supra in c. 1. sed homagium per se non est pretio æstimabile. Ergo etsi illud præstetur pro beneficio ecclesiastico assequendo, simonia non committitur. Probatur minor ex c. final. de hereticis, ubi propter crimen hæresis homagium factum, seu præstitum illi qui in hæresim lapsus est, in fiscum non cadit, juxta textum in cap. vergentis eod. tit. igitur quia non continet quid pretio æstimabile. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam sive majores Ecclesiæ dignitates, sive minores attendamus, invenimus earum pos-

sessores Principibus, tam secularibus, quam ecclesiasticis homagium facere, cap. 2. de jurejur. cap. final. §. verum, de statu regul. lib. 6. cap. Romana §. debet, de appell. eod. lib. cap. gravamen, de excessibus Prelat. variis historicorum auctoritatibus probavi in dist. cap. 2. cap. nimis 30. de jurejur. & refert Roussellus lib. 2. cap. 5. num. 26. Ergo non injustè Archidiaconus Cantuariensis, cui de jure competeat institutionem corporalem, sive investituram in beneficiis ecclesiasticis dare, juxta tradita in cap. ea noscitur de instr. exigebat homagium ab ipso clerico, cui beneficium conferebat.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est; homagium esse adstrictionem servitutis factam Domino per pactionem promittente homine libero fidelitatem, ut variis auctoritatibus probant Vossius de vitis ferm. lib. 3. cap. 14. Hothomanus, & Verrucius de verbis feudilibus, verbo Homagium, Meursius in Glossario, eod. verbo, Pater Zerda in advers. cap. 44. Mattha de jurisd. p. 1. cap. 27. Idumay ad Innoc. III. lib. 3. Epist. 77. Cujus homagii, seu hominii forma nota est apud scriptores mediæ ætatis, videlicet juramento præfesto per manuum porrectionem, & osculum Domini: quo ritu Tassilo Dux Bajoriorum se in fidem dedit Regi Pipino, ut refert Aymoinus lib. 4. cap. 64. ibi: *Illic & Tassilo Dux Bajoriorum cum primoribus gentis sue venit, & more Francico in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit.* Sic etiam Boamundus Alexio Imperatori fidem exhibuit ad morem vassallorum. Willelmus Titius lib. 2. de bello sacro, cap. 15. Factus est Dominus Boamundus Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibita, & juramento præfesto corporaliter, quale solent fideles Dominia suis exhibere: Varias formas constituendi hominis ligii commemorant Lælius Bisciola lib. 17. honorarum successiv. cap. 22. Gregorius Lopez in l. 25. tit. 16. part. 3. & l. 26. tit. 11. ead. part. Cophinus de dominio Franc. pag. 240. Dorleans ad Tacitum lib. 3. pag. 273. num. 3. alii apud Solorzanum tom. 2. lib. 2. cap. 23. num. 22. Inde feudatarii homines per manus, & sacramentum dicuntur à Carnotensi epist. 18. ibi: *igitur quamvis mei homines essent & per manum, & per sacramentum furiose & clamose sedem meam circumdederunt.* Homagium autem, seu hominium duplex est, ligium, & non ligium: ligium est, quod Regi, aut Imperatori nullo medio debetur, cujus meminerunt Continuator Aymoini lib. 4. cap. 54. ibi: *Vnde Rex cum magno exercitu Normanniam aggrediens, manu forti eam cepit, quam Henrico filio Comitis Andegavorum reddidit, & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit.* Quare in Clem. Pastor alis. de re judicata, Rex Siciliæ dicitur homo ligius, & vassallus Ecclesiæ, Etiam hominium hoc ligium vocant fidei alligationem, seu ligantiam: Anselmus Cantuar. in epist. ad Ernulfum, lib. 3. epist. 90. ibi: *Si quis exigit ab aliquo monacho Ecclesiæ vestra sacramentum, aut fidei alligationem.* Et epist. 91. ad Gundulfum: *Nulla mine, nulla promissio, nulla assertio à religione nostra extorqueat aut homagium, aut jusjurandum, aut fidei alligationem.* Guillelmus Neubrig, lib. 2. cap. 37. ibi: *Occurrit et Rex Scotorum cum universis Regni sui Nobilibus, qui omnes in Ecclesia Beatissimi Apostolorum Principis Regi Anglorum, tanquam principali Domino, hominum cum ligantia id est solenni cautione standi cū eo, & pro eo contra omnes homines, Rege proprio præcipiente fecerunt.*

runt. Et Matthæus Paris de Henrico III. Rege Anglorum, *Gasconiam contulit Eduardo primo- genito filio suo; tamen sibi retinuit principali dominio, scilicet ligantiam.* Hominium non ligium est quando fidelitas promittitur inferiori Principi seculari, vel ecclesiastico, & excipitur persona Regis, vel alia similis. In utroque tamen sub iurejurando promittuntur fidelitas, obsequium, & servitium, ut probant Bosquetus *suprà*, Alteserra *de feud. cap. 8.* Cironius *ad tit. de feud.* ubi & nos, & *in cap. 2. cap. nimis, de iurejur.* Besoldus *tom. 1. polit. dissert. 2. cap. 2.*

5. *Traditur ratio decidendi.* Unde apparet jam ratio præsentis decisionis; nam cum homagium contineat in se præstationem obsequij temporalis, & subjectionis quasi servilis, ideo sine simoniæ labe pro assequendo beneficio ecclesiastico, seu alia re spirituali nullo modo fieri potest. Accedit, nam homagium promittitur, ut *suprà* probavi, in commodum, & utilitatem ejus, cui promittitur, cum efficiatur promittens ejus vassallus, obligeturque ad fidelitatem, obsequium, & servitium. Unde pro spiritualibus rebus acquirendis fieri non potest, quia munus, seu obsequium temporale pro spiritualibus dare, aut accipere, simoniacum est. Quare in præsentis specie clericus Archidiacono Cantuar. non tenetur ratione beneficii homagium præstare, & injustè Archidiaconus eum adegit ad tale homagium faciendum pro beneficio assequendo; & ideo Alex. III. talem promissionem nullam esse declaravit, cum simoniacam pravitatem contineret.

6. *Respon- detur* Nec obstat dubitandi ratio *suprà* adducta *ex cap. final. de heretic.* nam licet homagium afferat commodum temporale domino, cui fit, aut pro-

mittitur; non tamen commodum hoc ad fiscum pertinet, propter crimen hæresis à domino commissum; immò potius ab ejus obligatione vassalli liberantur in pœnam tanti sceleris. Si autem jus hoc in fiscum caderet, vassalli fierent deterioris conditionis, cum fiscus nunquam moriatur; & ita perpetuò illius vassalli essent. Nec obstat quod expendebamus *ex dict. cap. gravem,* cum similibus. Nam responderetur, quod est homagium, ac fidelitas promiscuè aliquando usurpentur, diversa tamen sunt; nam homagium est promissio obsequij, & servitii temporalis, ut *suprà* probavi; fidelitas verò præstatur cum quis promittit superiori servare reverentiam & fidelitatem à jure debitam, ut probavi *in cap. ego, de iurejur.* Unde homagium pro spiritualibus rebus assequendis præstari non potest: fidelitatis autem juramentum rectè exigi valet absque labe simoniæ, quia per eam promissio non obligatur ad munus, seu ad obsequium temporale præstandum, ad quod de jure non teneatur; & potius dignitati, quam personæ promittitur: quod procedit quando hoc juramentum præstatur pro dignitate, seu beneficio, pro quo talis fidelitas præstari solet; aliàs simonia committeretur, juxta communem hujus textus interpretationem; ut etiam committitur, si Prælati collator beneficii novas pactiones, aut gravamina addiderit, quibus jurantem gravare intendat, aut obligare valeat ad aliqua capitula, ad quæ nec jure, nec consuetudine recepta, approbataque teneretur; tunc enim sine dubio in præstatione fidelitatis simonia committitur. Hic annexenda sunt quæ de investituris adduxi *in cap. quisquis. de elect.*

CAPUT XVII.

Idem ^a Strigon. Episcopo.

ET si quaestiones tuas de fervore religionis exurgere, & ex intimæ devotionis affectu, quem circa nos, & Ecclesiam habes, ad nostram cognitionem perferri nullatenus ignoremus; non tamen est tibi in his ultra, quam oporteat, dubitandum: cum ^b leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione sacramenta etiam necessaria & legitima exhibere contemnunt: tenuem enim vocant religionem, quæ in talibus hæsit, ubi non est aliquatenus hæsitandum. Unde ^c psalmista dicit: Trepidaverunt ubi non erat timor. In hoc autem, quod dilectus noster P. tituli S. Laurentii in Damaso presbyter Cardinalis, tunc verò sancti Eustachii diaconus, & Apostolicæ Sedis Legatus, pro electione tua, & ut pallium tibi deferret, ad partes illas accessit, & dilectus filius noster Alanus frater tuus, ejus præsciens necessitatem, eidem Cardinali equum unum, te penitus ignorante transmisit, quoniam per mare veniens nullas, aut paucas secum adduxerat equitaturas, te nullo modo timere oportet, cum in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint maximè ^d attendenda, personæ scilicet dantis; & recipientis, & muneris quantitas; qualitas personarum, & donationis tempus: ut à quo, & cui, videlicet, an à paupere diviti, vel è contrario, sive à divite locupleti datum fuerit, sollicitè consideremus. Estimationem muneris, & donationis tempus attendimus, cum magni, vel minoris pretii res data existat, & an instante necessitate seu alio tempore conferatur, diligentius inspiciamus. Quibus siquidem studiosius inquisitis, in præscripta quaestione tua nihil reprehensione dignum invenimus: quod sollicitudini tuæ in sequentibus manifestius apparebit. Si enim prædictorum Cardinalis, & fratris tui personarum qualitatem certa consideratione pensamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum unum transmitti, quem etiam joculari non petenti vir tantus, & tam abundans donavit. Verum sit temporis necessitatem perpensimus, non aliâ intentione hoc constat factum fuisse, quam ut Cardinali

dinali in tali articulo subveniretur. Quare super hoc in conscientia tua nullius unquam debet scrupulus dubitationis emergere, cum res data modici pretii, quantum ad personam dantis, vel accipientis extiterit, nec alteruter eorum aliquid in mente habuerit, quod tibi possit, vel debeat, quamlibet, vel in modico lationem inferre; etsi ante electionis examinationem, & pallii receptionem, & te nolente, & penitus ignorante sit factum, & equus necessitate instanti transmissus fuerit, & collatus: nec etiam res tanti pretii reputetur, quæ accipientis animum multum movere debeat, aut ab honestatis proposito ad aliud declinare. Quod autem scriptum est: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere: de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel intervertere solent, quoniam si ipsa etiam persona electi ordinatori, vel consecratori suo electuarium, medicinas, aut de optimo vino, sive de aliis huiusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, offerat; non tamen Ecclesia Romana accipientem, vel dantem in his delinquere, interpretari consuevit.

NOTÆ.

1. ^a **Strigoniensis.**) Ita legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 20. Sed rectius in sexta collectione legitur Archiepiscopo, quia his temporibus Strigoniensis Ecclesia Hungariæ Metropolis erat. Integra inscriptio desideratur post Concil. Lateran. part. 50. cap. 1. De Strigoniensi provincia egi in cap. 4. de postulat. Prælat.
2. ^b **Leges humane.**) Videlicet lex finalis, §. *in autem*. ibi: *Cum forsitan quidam subtili reverentia tenti, nec verum sacramentum prestare putaverint; c. de fide instrum. Et l. que sub conditione 8. l. penult. ff. de condit. instit.* Unde à Præatore remissa fuit conditio iurjurandi adjecta in testamento, qui aliqui ita formidolosi erant, ut nec verum jurarent, alii ita faciles, ut omnia jurarent, dict. l. 8. quam illustrat fornerius lib. 3. rer. quotid. cap. 22. Doncl. lib. 6. comment. cap. 18. A costa lib. 1. select. cap. 10. in qua parte observandi sunt textus in l. 1. §. sed ad eos ff. ad leg. Falcid. l. facta 63. §. ff. 3. ad Trebel. l. libertus 20. ff. de bon. libert. l. municipibus, l. non dubitamus 20. ff. de condit. & demonstr. l. cum pater 77. §. 23. ff. de acquir. hered. l. cum quis

decedens 37. §. Codicilis, ff. de legat. 3. l. conditiones 14. ff. de condit. instit.

^c **Psalmista.**) Psalmo 13. ubi Septuaginta legunt: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

^d **Attendenda.**) Et rectè, si enim à paupere diviti, aut à subdito superiori aliquid detur, utrumque suspectum est; si autem à divite pauperi, pius; si à divite locupleti, humanum, nisi ex causæ corruptione, aut exterioribus signis aliud iudicium sumatur. Facit etiam, quod quamvis donatio regulariter non præsumatur, l. Campanus, ff. de operibus libert. fallit si donans dives est, aut nobilis: recipiens verò pauper, ut probat Tiraquel. in tract. de nobilit. art. ult. num. 47. Facit textus in cap. 1. de donat. ubi notavi: latius profequuntur Binsfeldius in præfenti, Narbona in l. 31. gloss. 6. tit. 7. lib. 1. Rocopil.

^e **Beatus qui excutit.**) Verba sunt Isaia cap. 32. relata à Gratiano in cap. sunt nonnulli, 1. quest. 1. cap. qui rectè 11. quest. 3. Commentarium huius textus dedi in cap. 1. verbo prohibemus, hoc titul.

CAPUT XVIII.

^a Alexander III.

Veniens ad nos F. presbyter, nobis supplici relatione proposuit, quod Abbas, & Fratres sancti R. noluerunt eum in monachum recipere, quousque illis pro monachatu triginta libras dare convenit. Conventionem autem factam, statim eum sequenti die monasticum habitum induerunt. Idem verò monachi triginta ^b sol. Abbas verò LX. & familia XII. pro pastu, asserentes hoc esse de ^c consuetudine monasterii, postulaverunt. Quoniam ergo rei veritas nobis non constat, & factum huiusmodi perniciosum videtur, f. t. per A. f. m. p. quat. rei veritatem inquiras, & si ita inveneris esse, Abbatem, & monachos ad restituendam pecuniam ^d præfato F. tam indignè receptam, instanter admoneas, & cum omni districtione compellas, & Abbatem, & maiores personas monasterii, pro tantæ pravitatis excessu, ab officio sacerdotali ^e suspendas. Prædicto autem F. in alio ^f monasterio præcipias, ut in habitu monastico Domino studeat servire.

NOTÆ.

- ^a **Alexander III.**) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 1. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex: unde cognosci non potest, de quo monasterio in præfenti agatur, ubi similis corruptela invaluerat.

I

^b Solidos.

b *Solidos.*) De quorum valore sequenti capite agemus.

c *Consuetudine.*) Quæ ut corruptela merito improbanda videtur, juxta tradita supra in cap. cum Ecclesia.

1. d *Præfatio F.*) Quia licet cum simonia vera committitur, pretium interveniens non debeat restitui danti, sed potius Ecclesiæ, pauperibus, vel cui iudex assignaverit, juxta tradita supra in cap. de hoc. 11. tamen quia in presenti casu F. bona fide dedit per exactiorem, non quia intenderet pretio illo emere habitum religionis, ideo ei justè restituitur, ut docuit Covarr. in regul. peccatum, 2. part. §. 3. de R. I. lib. 6.

e *Suspendas.*) Quæ suspensio pœna simoniaci est, ut probavi in cap. 3. hoc titul.

2. f *Alio monasterio.*) Eiusdem ordinis, & professionis; quia professio à F. emissã valuit, & tenuit, quia tantum ingressus respectu illius monasterii propter simoniam improbat, nam cum F. intenderet se obligare Deo. pravum Abbatis factum non potuit impedire professionis effectum, ut probat Luna, & Arellano lib. 5. singul. antinom. 1. ubi exponit textum in cap. dilectus, el. 2. hoc titul. & si in presenti casu F. particeps esset simoniæ, in aliud monasterium ejusdem Ordinis, & professionis, sed arctioris vitæ, esset detrudendus: quo casu procedit textus in cap. quoniam, infra hoc titul.

COMMENTARIUM.

3. Conclusio traditur & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Pretium recipere pro habitu monastico simoniacum est, & illud recipientes suspenduntur ab officio. Probat eam textus in cap. quam pio 1. quest. 2. cap. non satis. cap. cum in Ecclesia, cap. de regular. cap. dilectus, el. 2. cap. quoniam, hoc tit. Concil. Francofordiense can. 16. Audivimus enim, quod quidam Abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monasterium requirunt: ideo placuit nobis, & sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur. Concilium Melitanum can. 7. Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua placuit occasione presumat. Oxoniense temporibus Honorii III. cap. 39. Extravag. 1. hoc titul. Trident. sess. 25. de reform. cap. 3. & de regul. cap. 16. Illustrant ultra congestos à Barbofa in presenti, Binsfeldius in cap. non satis, hoc titul. Araujo in qq. Moral. disput. 14. part. 2. art. 3. num. 14. Suarez de relig. lib. 4. de simon. cap. 17. Castropalao in opere moral. tract. 17. disput. 3. punct. 9. num. 4. alii relatis Diana 3. part. tract. 2. resol. 100. Lessius lib. 2. de justit. cap. 35. dubit. 12. Azor part. 1. instit. lib. 13. cap. 9. Tamburin. de jure Abbatis disp. 5. questio 2. & 3. Gibalinus de simon. questio 18. confectar. 9. Christ. Lup. in can. 19. Synod. 7.

4. Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in hanc assertio- nem ita insurgo: etsi sanctiora nascentis Ecclesiæ secula repetamus, inveniemus fideles ad monasticam vitam transcentes, secum omnia bona sua offerre monasterio, in quo professionem emittebant, cap. final. de renunc. cap. in presentia, de probat. cum aliis ibi adductis. Igitur quia alienum non est à disciplina ecclesiastica de statu regulari, ut aliquod temporale offerant, qui volunt ad monasticam vitam transire. Sequentibus læuclis

usque ad nostra nihil usitatus est, quam ut moniales vitam religiosam eligentes secum dotem afferant, quam monasterio tradant pro sua sustentatione: quam consuetudinem variis rationibus probarunt D. Thomas 2. 2. quest. 100. art. 3. ubi Aragon, & Cajetanus, Victoria in relect. de simonia, 2. part. num. 12. plures congesti à Barbofa in cap. non satis, hoc titul. Tamburin & Gibalinus ubi supra. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Equites Ordinum Militarium sancti Jacobi, Alcantara, & Calatrava, esse veros religiosos, professionemque in religione approbata emittere, tenuerunt plures congesti à Joanne Sanchez in select. disput. 49. Diana 3. part. tract. 2. resol. 64. sed habitus hujusmodi Ordinum posse pretio dato acquiri, probarunt latè Villalobos tom. 2. titul. 37. difficult. 14. numer. 5. Diana resol. 64. Fagundez lib. 3. de contract. capit. 20. ergo licitum est pretium dare pro ingressu religionis.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cujus ratio provenit ex eo; nam cum status religionis sit spiritualis, ut notum est, non potest pro eo aliquid temporale exigi, juxta definitionem traditam in cap. 1. hoc titul. quare ad evitandam hanc simoniæ speciem Carthusiensis Ordo districtum adhibuit statutum relatum à Dionysio Richel. lib. 1. art. 16. in hunc modum: A novitiis nec aliquid exigatur, si Prior exegerit, sit extra sedem 40. diebus, & totidem faciat ab-simientias sine misericordia infra sex menses. Si Procurator, vel alius exegerit, sit per 40. dies novitiis, & totidem in Capitulo recipiat disciplinas. Prioratum quoque Prior, & procuratorum Procurator amittat, si eis scientibus exactio jam venerit ad effectum. Nullus etiam nostrum de rebus novitii aliquid postulet, nec ad procuratorum aliquam faciendam novitii instruat ab aliquo nostrum. Insuper prohibemus Vicariis, & Prioribus, atque conventibus monialium de cetero, ne recipient in sorores nisi quot de bonis monasterii poterunt sine penuria sustentari, nec aliquam sub cujuscumque commodi velamine recipiant, donec locus vacaverit, nec propter manera, vel etiam promissa aliquis presumant personam vestire, ne vitium committant simonia. Memorabile est illud D. Hieronymi in sua regula adducta ab eodem Dionysio dicto art. 16. Sic enim ait: Detestabilem heresim simonia, quam communi pravitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat vestra societas. Gierzi & Simonis vos terreat pravitas. Vox Petri Vicarii Christi nunquam exeat de auribus vestris: Pecunia tua tecum sit in perditionem, existimas enim donum Dei haberi pecuniâ. Communis mercatorum usus habet, ut venditio commutetur in melius; assertio namque simoniaci pecuniam esse præstantiorem dono Dei, cum illud commutat in ipsam. ad vos venientes sorores, ad Christi suscipite nuptias gratis: proponatur sanctitas pecunie, exquiratur bonitas vite, non generositas carnis, non utilitas mundi, nulla omnino pactio, nulla opinio, estimatio, seu intentio de pecunia danda præveniat, & receptionem præcedat: que pactio, sive opinio, puritatem mentis perturbat. Rectè ergo Alexander III. in presenti juxta Sanctorum PP. regulas in presenti decrevit, ab officio suspendendos esse eos, qui pro ingressu religionis, pretium temporale exigunt.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta ex dicto cap. final. de renunc. cap. in presentia, de no. probat.

probat. nam in eis & similibus agitur de iis, qui voluntariè, & ex devotione, cum se Religionì offerbant, omnia bona sua secum deferabant: quod cum ex pietate, & liberalitate fieret, non animo, vel studio emendi habitum, seu professio- nem monachalem, Ecclesia permittit, laudavitq; at præfens assertio procedit quando conventio- ne facta, initoque pacto pretium accipitur pro ingressu Religionis; tunc enim cum temporale, quod datur, habeat veram rationem pretii, simonia committitur. Nec obstat augmentum primum dubitandi rationis, pro cuius solutione sciendum est, dubium esse apud antiquos scriptores, an quando monasterium est ita tenue in redditibus, ut non sufficiat, nisi pro certo numero, ultra quem alii cupiunt in eo recipi, liceat ab eis exigere etiam ex pacto dotem pro sustentatione personæ. In qua quæstione negativam sententiam latè fundat, & contrariam impugnat Carthusianus lib. 1. & 2. de simonia. Sed affirmativa sententia verior est, dum tamen expressè caveatur, pecuniam recipi pro sustentatione monialis, non verò pro ipso ingressu. Eam defendunt DD. laudati suprà pro illustratione conclusionis. Facitque pro ea validissima ratio, nam sustentatio est aliquid temporale, & distinguitur ab ipso ingressu; ubi autem pretium datur pro re temporali, nulla committitur simonia, quamvis spirituale cum temporali annexum sit, si contractus necessariò non miscantur, nec ex illa conjunctione necessariò sequatur vendito temporali, vendi quoque spirituale ipsi annexum, ut fuse probat Gibalinus de simon. q. 5. & 6. Sustentationem autem in hoc casu separari posse ab ipso ingressu, probatur exemplo sacre ecclesiasticæ, nec-non & matrimonii; nam licet pro ipsa ordinatione clericus non possit pretium temporale Ecclesiæ, vel Episcopo dare, ut probavi in cap. 1. hoc titul. tamen si beneficium ecclesiasticum non habet, saltem patrimonium sufficiens ad sustentationem debet habere, ut probavi in cap. 2. de prebend. & dignit. & eius dominium retinet, quia onus sustentationis non incumbit Ecclesiæ. Cum ergo in religioso onus sustentationis transeat in monasterium, & repugnet voto paupertatis, ut ipse retineat dominium patrimonii, rectè potest illud transferre in monasterium pro ipsius sustentatione. Hoc apertius probatur exemplo matrimonii, in quo etsi sacramentum sit, licetè dos marito traditur ad sublevanda ejus onera, ut probavi in cap. 2. de condit. appost. Igitur similiter in hoc connubio sacro personæ religiosa potest dari aliqua dos monasterio non pro ipso ingressu, sed pro sustentatione, ut considerat Gibalinus de simon. q. 18. consecr. 8. Similiter & pro ingressu in confraternitate, aut pro sodalitate, potest pecunia recipi, non in pretium admissionis ad primum cœtum, sed ad sustentationem onerum sodaliti, vel ad comparationem sacre supellectilis. Angelus in summa, verbo Simonia, num. 27. Sæ eod. verbo, num. 2. Theophilus Raynaud. tom. 16. in heterocl. spiri. part. 3. punct. 4. fol. 515.

7. *Exponitur varia opinio.*
Nec sententiam hanc evertunt primò textus in cap. quoniam, hoc titul. ubi PP. Concilii Lateran. sub gravissimis poenis prohibent, ne paupertatis prætextu moniales aliquid exigant ab iis, quas in foreces admittunt. Igitur nec pro sustentatione monialis, etsi monasterium tenue sit in redditibus, licet dotem recipere. Pro cuius interpretatione varia adduxerunt DD. Reginaldus, & alii apud Barbofam in collect. ad illum text. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

tum afferunt, ibi agi de paupertate simulata, ut ita simonia palliaretur, non quia verè monasterium tenue esset in redditibus. Navarrus laudatus à Suarez lib. 4. de simon. cap. 17. accepit textum illum, quando moniales accipiunt plus quam necessarium erat ad monialis sustentationem. Sed verius Azor. 3. part. instit. lib. 12. cap. 16. quæst. 1. Gibalinus dict. consecr. 9. textum illum accipiunt quando non pro sustentatione, sed verè pro ipso ingressu pretium exigitur; tunc enim nullo prætextu, etiam paupertatis pretium recipi valet. Nec etiam obstat textus in cap. tua nos, hoc titul. ubi clericus, qui sua bona Ecclesiæ tradidit cum pacto, ut reciperetur in canonicum, simoniacus judicatur: igitur similiter qui bona sua tradit monasterio, ut in eo recipiatur, simoniam committit; nam responderetur, in eo textu propter pactum de temporalibus ad spiritualia simoniam committi, juxta traditam in cap. 4. de pact. Nec obstat extravagans 1. de simon. ubi Urbanus V. prohibet sub excommunicatione Apostolicæ Sedi reservata, ne quid directè vel indirectè petere, vel exigere pro ingressu religionis præsumatur. Igitur nec sub paupertatis prætextu licet dotè à moniali exigere. Nam responderetur, Pontificem in eo textu novum jus non statuere, sed tantum veteres Ecclesiæ sanctiones innovare. Unde cum in eis nunquam prohibeatur aliquid recipi pro sustentatione monialis, nec Urbanus talem dotis constitutionem prohibet, sed corruptelam contra antiquas Ecclesiæ leges introductam condemnat. Nec tandem obstant varii canones congesti in cap. 1. de statu monachorum, ubi cavetur; ne plures personæ admittantur, quam ex redditibus monasterii alii possunt. Nam responderetur, in eis tantum prohiberi, ne quando monasterium plures personas alere nequit quam intrinsecus habet, alia recipiantur alendæ expensis ipsius monasterii; non tamen in eis prohiberi, tunc congruam dotem recipere ab eis, qui petunt habitum in ipso monasterio, ut docuerunt Gutierrez lib. 1. canon. quæst. 32. n. 83. Suarez dict. lib. 4. de simon. cap. 17. Sanchez lib. 7. summa, cap. 23. num. 4. Binsfeldius in cap. 9. hoc titul. Gibalin. dict. consecr. 9. num. 3.

8. *De Ordinibus Militaribus.*
Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis, cuius solutio pendet ex alia fati vexata quæstione, an videlicet Equites Ordinum militarium sint verè religiosi? Quam latè, & doctè novissimè examinat P. Magister F. Joannes Martinez discurs. 9. politic. moral. per totum: qui discursu sequenti amplectens sententiam Theologorum qui eos religiosos esse negarunt, resolvit quæstionem illam nostris temporibus à magnis Theologis, & Jurisperitis disceptatam, præcipue Araujo in qq. moralibus. part. 1. disp. 6. per totam, P. Andrea Mendo de Ordinib. Milit. disp. 1. q. 14. Ferro Manrique 2. part. qq. mor. q. 108. Marin. lib. 1. resol. cap. 318. an videlicet habitus Ordinum Militarium vendi possunt? Et resolvit, quod etsi in tali venditione simonia non committatur, peccatum tamen, tam contra justitiam distributivam, quam commutativam ipsorum Religionum Militarium admitti. Sed cum juxta sententiam Juristarum, seu majoris partis eorum, Equites Ordinum Militarium religiosi credantur saltem quoad plures effectus, inde juxta eorum sententiam credo in tali venditione simoniam committi. Pro qua sententia facit textus in extravag. 1. hoc titul. ubi cum Urbanus V. expressè statuit nihil esse recipiendum pro ingressu Religionis, addidit ea verba: Quovis nomi-

nenuncupatis, etiam ordinum militarium. Et in constitutionibus ipsius Ordinis D. Jacobi, tit. 15. cap. 1. ita cavetur. *Establecemos, que el maestro no reciba dineros, ni precio por la encomienda: y si alguno acometiere a darò le diera, pierda lo que le diera, y la encomienda, y el cavallo, y hagan penitencia por un anno.* Possentamen hujusmodi habitus militares beneficiari, ut vulgò dicitur, rectè probat Martinez de Prado supra.

9.
Exponitur
cap. 2. de
condit.
Apposit.

Sed suprà traditis obstat textus in cap. 2. de cond. apposit. ubi refertur, quemdam Diaconum duobus servis suis libertatem dedisse eà conditione, ut monachi fierent in ipso monasterio, in quo ipse degebat: quod factum adeo probavit Gregor. Magn. ut jussit uni ex servis illis, qui volebat tantum in clericatu manere, ut detruderetur in monasterium, aut iterum servituti subijceretur. Ex quo textu apertè constat, pro ingressu monasterii aliquid temporale dari posse. Cui

difficultati variis modis satisfacere intendunt Glossa, & repetentes ibi, quos referunt Barbosa in collect. ad illum textum, Gibalinus de simonia, quest. 6. consec. 11. Quibus omisissis dicendum est, in eo textu nihil temporale datum fuisse monasterio pro ingressu, sed tantum dominum servorum, ut eos invitaret, alliceretque ad vitam religiosam, illis libertatem promississe, si in ipso monasterio habitum susceperint, remanentque, nullà necessitate illis imposità profitendi vitam monasticam, sed tantum optione illis datà libertatis in præmium professionis religiosæ, aut permanendi in servitute. Unde sicut licet infidelis dare pecuniam, ut baptismum suscipiat, & reo capitalis criminis impunitatem concedere, ut religiosus fiat, ut probat Gibalinus dicit. quest. 6. consec. 10. multò magis licet servo libertatem dare si monasterium ingreditur.

CAPVT XIX.

^a Alexand. III.

EX tuâ fraternitatis litteris, & ^b confessione sacerdotis præsentium latoris accepimus, quod cum ad sacerdotis ordinem non aliter voluisset eum eius Archidiaconus ^c præsentare, vi. ^d sol. eidem Archidiacono solvit, & sic postea ordinem ipsum per eum præsentatus accepit. Vnde super eo, de quo nostrum consilium postulasti, tibi sic duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem secretò convenias, monens sine ulla tamen coactione, eum propensius, & inducens, ut ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuò ab officio, quod illicite acquisivit, abstineat. Si verò ad religionis ordinem observandum inducere eum fortè non poteris, studeas ei ad sustentationem suam aliquod ^e beneficium ecclesiasticum constituere, ad hoc, ut à sacerdotio debeat in perpetuum abstinere. Alioquin non erit tutum, cum sit secretus excessus, ipsum invitum ab eodem officio coercere; sed tamen secretam poenitentiam, secundum quod tibi visum fuerit, inungere non postponas.

NOTÆ.

1. ^a *Idem.*) Alex. III. videlicet, ut legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 2. nulli tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex.
- ^b *Confessione.*) Secretò facta, tam Episcopo, quam Pontifici; non verò sacramentali, ut notavi in cap. 2. de offic. ordin.
- ^c *Archidiaconus præsentare.*) Juxta morem illustratum in cap. unic. de scrutin. in ordin. faciend.
2. ^d *Sex solidos.*) An gravis, parvave esset hæc quantitas, petendum est ex valore solidorum; certum est enim, solidum monetam fuisse usu receptam sub Hadriano Imperatore; ejus enim mentio fit in l. si verò prætor, ff. de his qui effuderunt; & sequentibus Imperii sæculis usitata fuit, ut constat ex Novell. 123. Justin. princip. Instit. de pœna temerè litig. l. 13. C. Theodos. de suscept. & arcariis, l. unic. eod. C. de oblat. votor. Solidorum valor non idem semper fuit; nam antiquissimis temporibus ex una auri uncia sex solidi fiebant, unde solidus sextula dictus est, ut ait D. Isidorus in origin. & liquet ex illo versu Fani.

Sextula, quæ fertur, nam sex his uncia constat.

Temporibus Constantini ex una auri uncia cedebantur septem solidi; unde libra auri continebat solidos octoginta, ut patet ex l. i. C. Theodos. de ponderat. Verùm Valentiniani tempore cautum fuit, ut ex auri libra 72. solidi fierent. Sequentibus sæculis, tam in Hispania, quam Gallia, varius fuit solidorum valor, modò valebant quatuor denarios, modò quadraginta denarios argenteos, ut constat ex lib. 3. Capitul. cap. 7. & lib. 4. tit. 25. & in Concil. Brachar. 2. can. 2. statuitur, ut Episcopus diocesim suam visitans; nihil ultra duos solidos à qualibet Ecclesia accipiat. Prosequuntur alia de solidorum valore Jacob. Gothofredus in opuscul. de mutat. moneta, Lemaitre lib. 2. de juribus Episcop. cap. 2. Hallier. de sacris elect. cap. 7. art. 6. §. 1. Unde cognoscitur, non levem summam fuisse ab Archidiacono in præsentis casu exactam.

^e *Beneficium.*) Simplex videlicet, quod non peteret administrationem sacramentorum, aliàs frustra daretur illi, cui officium denegabatur, cap. ex litteris, de excess. Prælat. Commentarium hujus textus dedi suprà in cap. 1.

CAPVT XX.

Alex. III. ^a *Hereforden. Archidiacono.*

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, unde, si verum est, plurimum admi-
ramur, & adversus vos jure movemur, quod in Ecclesiis in vestra jurisdictione
constitutis ^b vicarios, nisi ab eis exortâ pecuniâ, nullâ ratione ministrare permitti-
tis, & ^c personas Ecclesiarum, quasi servos & censuarios singulis annis indebitis
exactionibus gravare præsumitis, extorquendo ab eis pecuniam, & procuratio-
nes, ^d eas diversis nominibus, aliquando auxilium Episcopi, interdum ejusdem
Episcopi, & vestras ^e consuetudines nuncupantes: quas si vobis fortè reddere
contendunt, vos easdem personas, & Ecclesiarum vicarios ab officio suspenditis,
& in eorum Ecclesiis divina prohibetis officia celebrari, & inter cætera de-
narium ^f chrismatibus pro voluntate vestra ab eis in vestre salutis periculum ex-
torquere præsumitis, hujusmodi exactionem, ut eam liberius videamini exigere,
quandoque consuetudinem Episcopalem, quandoque synodalia, quandoque pas-
chales denarios appellantes. *Et infra:* Quia verò non decet vos clericos ita viliter,
& inhonestè tractare, disc. v. per A. f. m. quat. ab eis pro ministerio ecclesiastico
exercendo, sive pro vicariis assignandis, seu pro chrismate nullatenus exigatis pec-
uniam, & eos indebitis exactionibus, aut procurationibus de cætero gravare, vel
personas eorum, aut Ecclesias sine manifestâ ratione, & rationabili causâ nullate-
nus interdicto supponere præsumatis, &c. Alioquin si ad nos exinde iterata quere-
la pervenerit, &c.

NOTÆ.

^a *Hereford.*) Ita legitur in secunda colle-
ctione, sub hoc. titul. cap. 3. ex qua tran-
scribo textum hunc, etsi mutilum, & truncatum;
nam tam ex prioribus, quàm mediis, & postero-
ribus verbis constat, in eo plures esse lacunas.
De Herefordensi Ecclesia nonnulla adduxi in
cap. 2. de tempor. ordin.

^b *Vicarios.*) Sive perpetuos, sive temporales,
de quibus egi in cap. 1. cap. ad hæc, de officio
vicarii.

^c *Et personas.*) Parochos videlicet, & be-

neficiarios, juxta tradita in cap. 8. & 12. de re-
script.

^d *Procuraciones indebitas.*) Nam tempore visi-
tationis, tam Episcopo, quàm Archidiacono pro-
curaciones à jure præscriptæ sunt solvendæ, ut
probavi in cap. cum Apostol. de censibus.

^e *Consuetudines.*) Facit textus in cap. licet 3.
de penis, ubi etiam de diocesi Conventrensi An-
glia agitur.

^f *Denarios chrismatibus.*) De quibus egi supra
in cap. ea 15. ubi hujus secunda partis commen-
tarium dedi: prioris autem partis commenta-
rium invenies in cap. 1. ne Prælati.

CAPVT XXI.

Lucius III. ^a *Spalaton. Archiepiscopo.*

De simoniacè verò ordinatis juxta postulationem tuam certum tibi non possu-
mus dare responsum, nisi plenius nosceremus, qualiter fuerint ordinati;
cùm quidam, licet secundum quandam speciem, ut potè ignorantibus ordinatis, si-
moniacè ordinentur: in suis tamen possunt ordinibus remanere, quia simoniaci
non sunt.

NOTÆ.

^a *Spalaton.*) Ita legitur in prima collectione,
sub hoc titul. cap. 18. ubi additur pars capi-
tis Super eo, quod: unde cognoscitur in præsentibus
referri partem textus in cap. super eo, de bigamis,
ubi notavi.

COMMENTARIUM.

² Variis modis potest quis simoniacè ad ordi-
nes ascendere. Primò cùm ipse scienter pre-
tium dedit Episcopo, vel alii ministro pro ipso
D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

gradu sacri ordinis assequendo, ut probavi cap. 1.
hoc titul. Secundò cùm per ignorantiam ordina-
tur simoniacè, quod duobus modis contingere
potest: primò cùm ordinatur quis ignoranter ab
Episcopo simoniaco, quia in alia ordinum colla-
tione peccavit, ideoque ut simoniacus suspensus
erat ab Ordinum collatione, juxta tradita supra
in cap. 3. Secundò cùm ignorante ordinato, alius
tertius eius confanguineus, vel amicus Episco-
po, examinatori, vel alii ministro pretium dedit
pro ipsa ordinatione. Primò casu, qui ordines
suscepit ignoranter ab Episcopo simoniaco,
suspensionem incurrit, & tantum pro temporis,
aut

aut Ecclesie necessitat e in ipso gradu conservari jubetur in cap. sta tuimus, cap. si quis simoniaci 1. quest. 1. Gregor. VII. lib. 6. registr. epist. 39. ibi: Eos tantum in Ecclesia ordine recipi permittit, si eorum vita irreprehensibilis probetur. Alex. II. in Synodo Romana can. 3. apud Baronium anno 1063. Biniuum tom. 3. Concil. part. 2. ibi: de his autem, qui non per pecuniam, sed gratis sunt à simoniaci ordinati, quia quæstia jam à longo tempore diutius ventilata est quæstio, omnem modum dubietatis absolvimus, ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittimus. Quia igitur usque adeo hac venenata perniciosa hæcenus molevit, ut vix qualibet Ecclesia valeat reperiri, que hoc malo non sit aliqua ex parte corrupta: eos, qui usque modo gratis sunt à simoniaci ordinati, non tam obtentu justitia, quam intuitu misericordie in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obstat. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum vigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit in dispensatione ad pie condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus; ita tamen ut auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdiciamus, ne aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui sumat, vel præstet: quia non hanc aliquis sanctorum Patrum jubendo, aut obediendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendo à nobis extorsit. Quod rectè ratione procedit, quia cum regula juris utriusque sit, neminem posse dare quod non habet, l. nemo, ff. de R. I. cap. nemo, cap. perfectionem 1. quest. 1. cap. Daibertum 1. quest. 7. cap. solet, de consecr. dist. 4. non immeritò is, qui à simoniaco, et si non simoniacè, & absque sua ulla culpa ordinatur, ejusdem ordinis, tanquam ab illegitimo ministro, præter intentionem principalis agentis, cooperante accepti gradus executione privatur. Circa secundum casum non consentiunt DD. & ignoranter ita per

simoniam ordinatum, eandem suspensionem incurere, docuerunt Anguianus lib. 4. contror. cap. 6. Hallierius de sacris elect. sect. 7. art. 3. §. 2. Binsfeldius in præfenti, vers. Quarta conclusio. Quorum sententia probari videtur ex cap. præsentium 1. quest. 5. cap. per tuas 3. hoc titul. ex præfenti textu, in quo dispensationem Pontificiam contineri, docuit Hallierius ubi supra. Sed contrariam sententiam docuerunt meritò P. Suarez de censur. disput. 31. sect. 4. numer. 41. Navarr. in Manuali, cap. 25. num. 68. eo validissimo fundamento fulti, quod hæc suspensio in penam dilecti imposta sit; & ideo cessante culpa per ignorantiam, cessat pena, cap. Apostolica, de cleric. excom. ibi: Vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Et cap. ut animatum 2. de const. lib. 6. pro qua sententia facit textus præfens disertè in illis verbis: Quia simoniaci non sunt. Nec obstat, quod in primo casu proximè relato ordinatus per ignorantiam ab Episcopo simoniaco suspensionem incurrit: ergo & in præfenti casu suspensus manet. Nam respondetur negando consequentiam, quia in hoc casu non ordinatur quis ab Episcopo jam suspensus, ut ob eam causam non recipiat ab illo ordinis executionem; sed per talem ordinationem efficitur ordinator suspensus, cum antea non esset: ergo potuit dare executionem ordinis, quam habebat, quamvis simul ipse illum perdidit sic ordinando. Unde cum alias ordinatus non committat crimen, ob quod privetur tali executione, non est quare suspensionem incurrat: at verò in superiori casu suspensionem incurrit, quia minister suspensus erat, ut docet Suarez dict. disput. 31. sect. 4. De illo qui ignoranter per simoniam beneficium adeptus fuit, à gemus infra in cap. novit.

CAPUT XXII.

a Lucius III.

Matthæus Cardinalis secretà nobis insinuatione monstravit, quod cum fuisset ad Ecclesie tue regimen de voluntate majoris^b partis fratrum electus, quia paucis contradicentibus non valebas debita pace gaudere, quidam amicus tuus de conscientia tua, & voluntate perturbata, ei, qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit; & sic, quam prius sustinebas, contradictio conquievit. Nunc autem dubitas, quod non sis à labe simoniæ prorsus immunis, donec in administratione volueris remanere. Quia igitur per jam dictum Cardinalem Apostolicæ Sedis consilium quæsi visti, tibi significatione præsentium mandamus, quod multum tibi consulis, si administrationem prædictam celeriter, ac spontè dimittis, illius verbi^c Evangelici memor existens: nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat.

NOTÆ.

1. a Lucius III.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. final. post Concil. autem Later. part. 40. cap. 4. additur, Turonensi Archidiacono; in editione verò Surii, Archiepiscopo: & rectè, si conferantur illa priora verba: Quod cum fuisset ad Ecclesie tue regimen de voluntate majoris partis fratrum. Quæ evin-

cunt alloqui Lucium III. in præfenti Prælatum ipsum à Canonicis electum.

b Majoris.) Unde electio valebat, nisi minor pars contempta fuisset, aut rationabile aliquid opponeret contra electum, cap. Ecclesia, el. 2. cap. quia propter de elect.

c Evangelici.) Cap. 16. Matthæi.

COMMENTARIUM.

^{2.} Repetentes in presenti, nec non scribentes de simonia, late disputant, an liceat pretio redimere vexationem mihi iuste, vel iniuste factam circa rem spiritualem, vel spiritualibus annexam. Quam variis conclusionibus decidunt Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 50. Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 2. Valentia tom. 1. contrav. disput. 6. q. 16. puncto 3. §. 2. Vasquez in opusculo de scandalo, q. 43. art. 8. dub. ult. Kedoanus de simonia, 3. p. cap. 21. num. 1. Gibalinus eod. tract. q. 18. Barbosa in collect. ad hunc textum: quorum resolutiones transcribere, aut examinare longum foret. Pro presentis autem textus expositione sciendum est, illi communiter opponi textum in cap. dilectus 30. hoc titul. ubi in eadem specie vexationis facta ab Archiepiscopo Eboracensi docetur, quod si accepta pecunia, ut desistat à vexatione, ab ea non cessavit, competere repetitionem, unde Pontifex non improbit huiusmodi pecuniæ præstationem pro redimenda vexatione; immò tacite approbavit, contra ea, quæ in presenti statuantur. Pro cuius antinomix conciliatione dicendum est, discrimen constituendum esse inter eum, qui jus perfectum

habet in beneficio, & pretium dat pro redimenda vexatione illi, à quo nullum jus spirituale ad ipsum beneficium assequitur; & inter eum, in quo pretium dedit illi, à quo jus spirituale, quod illi deerat, per talem redemptionem assequitur. Primo casu nulla committitur simonia, quia tantum iniusta vexatio redimitur, quod licitum est, cap. de cetero 5. de transact. cap. cum venissent 9. de restit. spol. D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. ubi ait: Sanctus Iacobus autem non peccavit emendo, quia intelligitur suam vexationem redemisse. Quo casu procedit textus in dict. cap. dilectus 30. Secundo verò casu simonia committitur, quia pretio temporali res spiritualis, seu jus ad eam emitur, ut in presenti casu; nam cum minor pars Capituli suffragium haberet in electione Matthæi, possetque iuste confirmationem impedire ipsius, qui perfectum jus adhuc non habebat, pecuniam dando Magistro, ut ipse cum suis fratribus cessarent à vexatione, & electioni consentirent, novum jus ad ipsam Ecclesiam ex hac pretii præstatione fuit assequutus; unde dando pecuniam ipsi Magistro auctori discordiæ, simoniam commisit, ut docuerunt Luna & Arellano lib. 5. antinom. 2. Gibalinus de simonia, q. 18. conclus. 5. Binsfeldius in d. cap. dilectus, qui exinde singulares casus resolvunt.

CAPUT XXIII.

^a Lucius III.

Ad aures nostras pervenisse agnoveris, quod cum G. de Sevevilla propter ^b pecuniam, quam debebat, vinculo fuisset excommunicationis astrictus, creditoribus ^c satisfecit, sed excommunicatoribus x. libras pro absolutione querentibus, absolutionis gratiam non valuit obtinere. Quoniam igitur indignum est, & rationi ecclesiasticæ contrarium, ut absolutionis beneficium ^d redimatur, d. v. per A. f. m. quat. si præfatus G. debitum solvit, pro quo fuerat per sententiam excommunicatus, ipsum nullius ap. obt. gratis faciat auct. Ap. absolvi, etsi excommunicatores requisiti id ei noluerint exhibere.

NOTÆ.

^{1.} ^a Lucius III.) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 4. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec ubi præfatus casus contingerit.

^{2.} ^b Propter pecuniam.) Quia ob debita solvenda, & causam civilem potest excommunicatio infligi, ut late probat Gibalinus de censur. disquisitione 2. quest. 3.

^{3.} ^c Satisfecit.) Sed adhuc egebat absolutione, juxta tradita in cap. 1. de iudiciis.

^d Redimatur.) Nam talis absolutio est ministerium ecclesiasticum, & spirituale, cum non ex politico, sed ex spirituali jure proveniat, cap. nullus 1. q. 1. cap. sacro, de sent. excommun. Unde cum recipere temporale pro spirituali, regulariter sit simoniacum, ideo pro tali absolutionis beneficio pretium absque labe simoniæ recipi non potest, cap. non solum 1. quest. 3. docent cum D. Thoma 2. 2. quest. 100. art. 2. Binsfeldius in presenti, Gibalinus de simonia, quest. 8. conclus. 12.

CAPUT XXIV.

^a Clemens III.

De regularibus canonicis, seu monachis nos voluisti consulere, qui per simoniæ ingressum ipsis scientibus, & machinantibus habuerunt; unde cum super hoc ^b auctoritates multæ inveniantur expressæ, non aliud quam statutum est, respondemus, ut locum quem taliter adepti sunt, omnino dimittant, & solitudinem, seu alia monasteria ^c districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum sine inter-

missione deplorent. Si autem ^d ignorantibus ipsis pecunia data fuerit, cogas ad renunciandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo remanere potuerint, aut eos in aliquo, quod sit de ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collocare.

NOTÆ.

1. ^a **C**lemens III.) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap. 7.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.
^b *Auctoritates.*) Quas congesi supra in *cap. veniens 19. hoc titulo*, ubi commentarium hujus textus dedi.

^c *Districior a.*) Eiusdem tamen Ordinis, nam professio emissa etiam cum simoniaca labe, valida fuit, ut probavi in *d. cap. 19.*

^d *Ignorantibus.*) Quomodo simonia dari possit cum ignorantia in promotis ad sacros Ordines, exposui in *capit. de simoniacè 21. supra.*

CAPVT XXV.

^a Clemens III

EX insinuatione tua nobis innotuit, quod pater tuus interveniente pecuniâ olim tibi præbendæ beneficium ^b adquisivir: cumque ad annos discretionis postmodum pervenisti, Dominicæ crucis ^c signum accipiens, super excessu poenitentia ductus, dictam præbendam in manu Præpositi, & fratrum liberè ^d resignasti. Sed idem Præpositus, & fratres tibi compatiens denuò te in suum Canonicum elegerunt, ita videlicet, quod secundum electionem istam postremum locum ^e in choro, & in aliis locis obtineres. Cæterum quia à nobis humiliter requisivisti, utrum juxta priorem tuam receptionem tuum locum recuperare valeas, tibi duximus respondendum, ut indulgentiæ, quam fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur, contentus existens, ratione primæ receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia ^f vindicare.

NOTÆ.

1. ^a **C**lemens III.) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub titul. de renunc. cap. 2.* sed nullibi exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex.
^b *Acquisivit.*) Et ita per simoniam, juxta traditam in *cap. indicatum, hoc titulo.*
^c *Crucis signum.*) Ut militiæ nomen daret contra Saracenos, juxta tradita in *cap. quod 2. de voto.*
^d *Liberè resignasti.*) Aliàs si conditionaliter in favorem alterius, aut simili modo resignatio fieret, simoniaca esset, ut latè probat Gibalinus de *simonia, q. 16. c. 9.*
^e *Locum in choro.*) Ut noviter electus, cassatâ priori electione; nam si principaliter propter simoniam fuisset privatus ipsâ præbendâ, sed postea ad eam restitutus, recuperaret pristinum locum, ut in *Decurionibus, & similibus privatis, & restitutis*, probant Aviles in *capitulis Prætor. cap. 44. gloss. 1. num. 3.* Azevedo in *Curia Pisana, lib. 2. cap. 2. num. 18. & in l. 2. tit. 14. lib. 4. resop. num. 5.* Solorzano *tom. 2. de jure Indiar. lib. 2. cap. 26. num. 101.* Salgado de *Régia protect. p. 4. cap. 9. num. 178.*
^f *Vindicare.*) Ex indulgentiâ, & misericordiâ sustinetur hæc secunda collatio; nam cum simonia commissa fuisset à patre in ipsa prima præbendâ acquisitione, filius etiam simonia non consentiens tenebatur præbendam dimittere, *cap. sicut tuis, hoc titul. ex dicendis infra in cap. nobis, hoc titul.* & per consequens, quia circa eam præbendam simonia commissa fuit, non poterat secundo ad eam admitti etiam virtute novæ e-

lectionis, *cap. 7. hoc titul. in 2. collect. ubi idem Clemens ita scribit: Super eo verò, quod querere voluisti, si ab aliquo electio cassata fuerit, & idem ad regimen cuiusdam Ecclesiæ iterum concorditer nominatus, an secunda electio debeat confirmari, hoc tuam tenere volumus discretionem, quod si prior electio non vitio persona, sed modo electionis cassetur, nisi forte simoniacæ pravitatis aliquid intercessisse constiterit, promotionem ejus in eadem Ecclesia non debeat impedire. Facit Concil. Claromontanum sub Urbano II. editum à Ballutio: Quicumque sanè cupiditati parentum, cum adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt, & post eas omnino dimiserint, si canonicè in eis vivere noluerint, pro misericordiâ ibidem eos esse concedimus, nec pro hoc factò à sacris ordinibus removenus, si alias digni inveniantur. Illi verò, qui per seipos, cum jam majoris essent ætatis, nefandâ cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis ordinibus, pro magna misericordiâ miti eos ministrare permitimus. Quod si ad alias fortasse transferri non potuerunt, & in eisdem canonicè vivere promiserint, minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accedant; salva tamen in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati sunt, cum ea, quæ emerunt, dimiserint, & vitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur, nisi forte ejusmodi Ecclesia sit, ubi primum locum debeat obimere: primum enim, vel singularem, vel Præposituram, vel officii locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur. Refert Ballucius ad P. Marcham, lib. 6. concord. cap. 31. fol. 194. per hæc verba.*

CAPVT XXVI.

^a Cœlestinus III.

Nobis fuit ex parte tua cum magna diligentia propositum, quod cum quatuor essent à Capitulo constituti, qui debebant quendam in ^b Plebanum eligere, amici ejus de electione, cujus spes habebatur, uni eligentium, vel omnibus ^c promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi interveniente promissione postmodum est electus. Quia igitur super hoc nos consulere voluisti, sollicitudini tuæ breviter respondemus, quod nisi forte constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium ipsius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, tamen electio hujusmodi, tanquam simoniaca, per pravitatem hujusmodi adquisita, est penitus ^d reprobanda, &c. Ad ultimum super hoc, quod in fine tuæ consultationis invenimus, hoc duximus respondendum, quod aliquis in Plebanum, seu in quemlibet Ecclesiæ Prælatum electus, & ut dictum est, per pravitatem simoniacam reprobatus, ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de jure non ^e potest.

NOTÆ.

^a Cœlestinus III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titulo, cap. 9. nulli tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Pontifex.

^b Plebanum. Id est Parochum, quem forsam illi Canonici ut patroni eligebant: & quia nomine colectivo illum præsentabant, ideo si respectu unius intercederet simonia, tota electio vitatur, si autem illis ut singulis talis præsentatio competebat, propter simoniam unius non vitatur præsentatio, ut probat Barboza in presenti.

^c Promiserunt. Et promissio in hoc simoniae vitio habetur pro datione, cap. 2. de confessis.

^d Reprobanda. Ipseque ita electus debet dimittere Ecclesiam hoc modo acquisitam, cap. ex insinuatione, cap. sicut tuis, hoc titulo, cap. presentium 1. q. 5. cap. penult. de elect. docuit pluribus congestis Barboza in presenti, tam in collect. quam tom. 6. in select. Anguianus lib. 4. contrav. 6. Licet enim propter ignorantiam, excommunicationem, & suspensionem, in quas alii simoniaci scientes incidunt, non incurrant, tamen ipsa electio simoniace per ignorantiam facta est nulla, quia in ea deficit substantiale, videlicet ut gratis fiat: quare etsi extraneus dedit cum ignorantia electi, non potest supplere vitium hoc, ideo ea nulla est, nisi

malitiosè, & per calumniam tertius ignorante electo pecuniam dederit, quia cum malitiis hominum non sit indulgendum, cap. Sedes, de rescriptis, l. in fundo, ff. de R. V. nec debeat quis alterius odio prægravari, l. si quis suo, C. de inoffic. testam. hoc casu electio sustinetur, aliàs posset quilibet in præjudicium ejus, qui eligendus erat, malitiosè alicui eligentium pecuniam promittere, ut ita electio simoniaca denuntiaretur, ut docuit Anguianus dict. cap. 6. à quo accepit Barboza tom. 6. in select. ad hunc sextum.

^e Non potest. Cum eo enim, qui scienter beneficium simoniace accepit, tantum Summus Pontifex dispensare valet. D. Thomas 2. 2. q. 100. art. ult. & 7. & si simonia commissa est ignorante electo, nec etiam eo ratum habente, etiam solus Summus Pontifex dispensat, ut docet in presenti Innoc. Hostiens. & Panormit. Navarrus ad hunc titulo, lib. 5. consilior. consil. 35. n. 4. sed si beneficium simplex sit, & qui illud simoniace ignoranter acquisivit, post scientiam illud renunciet, potest illud licite iterum recipere ex Episcopi dispensatione, cap. penult. de elect. docuerunt Binsfeldius in cap. de simoniacis, hoc titulo. Felicianus Vega in cap. 4. §. de adulteris, ex numer. 159. de judiciis, Gibalinus de simonia quest. 31.

CAPVT XXVII.

Cœlestinus III. ^a Lincon. Episcopo, & Priori de Fractoponte, & Archidiacono de Marin.

Dilectus filius noster R. Præpositus nobis patefecit, quod cum ven. f. n. G. ^b Eboracen. Archiepiscopus, eum multis gravaminibus, & ^c variis injuriis afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniam se daturum, ut ab ipsius defisteret latione. Verum Archiepiscopus post receptionem pecuniam eum, sicut promisit, in pace non dimisit, nec super dignitatibus, & beneficiis suis ab ejus molestatione quievit. Ideoq; disc. v. per A. f. m. quat. si res ita se habet, Archiepiscopum restituere, quod accepit, si eum contra promissionem suam venisse constiterit, auctoritate

rate nostrâ ap. rem. compellatis, & prohibeatis etiam ipsi Archiepiscopo ex parte nostrâ districtiùs, ne pendente lite Præpositum ipsum, vel suos molestare præsumat; & si fortè fecerit, per vestram sollicitudinem corrigatur.

NOTÆ.

1. **L** *Inconiensis.*) Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 10. de Lincioniensi Ecclesia egi in cap. 8. de rescriptis; & de Pontefracto Angliæ oppido in cap. cum essent, hoc titul.
2. **G. Eboracensis Archiepiscopus.**) In hac sexta collectione legitur *Archiepiscopus*; sed credo retinendam esse præsentem litteram; tum quia Pontifex appellat illum fratrem, quod proprium Episcopi vel Archiepiscopi est, cap. quam gravi, de crimen. fals. tum quia temporibus Cœlestini 111. regebat Ecclesiam Eboracensem Gaufr-

1. dus, ut refert Polyd. Vergil. lib. 14. *hystor. Angliæ*, qui continetur sub littera G.

3. **c. Variis injuriis.**) In nulla ex collectionibus exprimitur, quænam illæ essent, licet ex verbis sequentibus deduci videatur, super beneficiis ecclesiasticis Archiepiscopum eum molestasse; unde pro redimenda vexatione licet pretium dari hinc deducunt repetentes, & probat Barbosa in præsentis, & in cap. *Matthæus*, ubi & nos hujus textus interpretationem adduximus.

CAPVT XXVIII.

Innocentius N. Abbati ^a de Iugo-Dei, & N. Priori de Scillin.

Svam nobis dilecti filii parochiani de Villa franca querimoniam destinarunt, quòd Dalmasiùs capellanus eorù pro exequiis mortuorù, & benedictione nubentium minùs licitè pecuniam ab eis exigit, & extorquet. Quod si fortè cupiditati ejus non fuerit satisfactum, ne possint mortuorum corpora sepeliri, vel nubentium benedictio celebrari, fictitia ejus impedimenta fraudulenter opponit. Quia igitur exactiones hujusmodi sacrorum canonum obviant institutis, discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Capellanum, ut à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciat competenter, moneatis attentius, & efficaciter inducatis. Quod si forrè vestris monitionibus noluerit obedire, ipsi appellatione remotâ pœnam canonicam infligatis. Datum, &c. ij. Kal. Junii.

NOTÆ.

1. **Iugo-Dei.**) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titul. cap. 1. & in epistolis Innoc. editis à Sireto, fol. 100. Monasterium de Iugo-Dei est Ordinis Cisterciensis in Angliâ, ad partes Hiberniæ, cujus foundationem refert Jacob Vvareus in *chron. Monast. Hiberniæ*, his verbis: *Leix, alias de Iugo Dei, vulgò Grey Abbey, hoc anno, scilicet 1193. vel secundum annales monasterii B. Mariæ Dublinensis, anno 1190. usque Abbatiam de Iugo Dei in Comitatu Duanensi instituit, Africa uxor Ioannis de Caroy, Vltonie expugnatoris; & filia Godredi Regis Maniæ, in qua ipsa postea sepulta est.* Refert Manrique tom. 3. *annal. Cisterc.* anno 1193. num. 7. Monasterium de Scillin, sive de Sillo, est Ordinis D. Basilii, etiam in Angliâ, ab oppido Silo ita dictum, de quo Polydor. Vergil. lib. 23. *hystor. Angliæ*, fol. 476.
2. **Villafranca.**) Licet nonnullæ villæ sint in Hispania hujus nominis, tamen cum præsentis causa cognitio commissa sit Prælati Angliæ, non potest Innocentius referri ad ullam ex eis, sed ad Villam Francam, quæ extat in Angliâ prope Engolismum, de qua Polyd. Vergil. lib. 19. *hyst. Angliæ*, ita ait: *Illisque passim prostigatis Engolismenses Villam Francam, item Rionis, & Fani Basilii arcem cum oppidis aliquot minùs amplius capit: secundum hæc venit auxilio suis Ioannes Normanniæ Dux, qui nonnullis factis cum hoste prælati, Engolismum cum Villafranca, sese oppidanis dederunt re-*

4. **c. Benedictionibus nubentium.**) De quibus egi in cap. 1. de secund. nupt.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Pro benedictionibus nubentium, seu exequiis mortuorum, parochus aliquid exigere non debet. Probant eam textus in cap. non satis, cap. *audivimus* cap. ad Apostolicam, de simon. cap. secundum 23. q. 8. D. Gregor. lib. 7. epist. 55. ad lanuarium, cujus verba cum aliis dedi in cap. *abolenda, de sepult.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentis, Iulius Lavor *var. lucubr. tit. 2. cap. 10.* Lælius Mancinus *sacri juris contr. ov. dissert. 3.* Solorzamus lib. 4. *polit. cap. 24.* Covarr. lib. 1. *variæ. cap. 13.* Petrus Gregor. l. 13. *de republic. c. 17. & lib. 3. partit. tit. 20. cap. 5.* Suarez *de relig. lib. 4. de simon. cap. 10.* Chopinus lib. 2. *de sacra Pol. tit. 7. num. 19.* Balduinus *ad novel. 23.* Iustin. Binsfeldius in præsentis, Gibalinus *de simon. quest. 12. confes. 6.* Lemastre *de juribus Episcop. lib. 2. cap. 6.* Altesserra in præsentis.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Nemo debet propriis stipendiis militare, sed si altari servit; de altari vivere potest, juxta Apostolum relatum in cap. cum secundum, de præb. & 1. ad Corinth. cap. 3. ibi: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.* Laborem enim sine mercede esse, nec jus, nec natura patitur. Et cap. *charitatem 12. q. 2. cap. nisi, § quippe, de renunc. authent. de indic. §. ne autem, collat. 6.* Faciunt textus

in l. 2. c. de offic. Prefect. Prat. l. Scio, in princip. ff. de annuis legat. Cassiodor. lib. 2. var. epist. 33. ibi: *Aequum est, ut unicuique proficiat labor suus; & sicut laborando agnovit incommoda, ita perfectis rebus consequatur augmenta.* Latè probaverunt Velasco de privil. pauper. 1. p. q. 6. num. 45. & quest. 28. num. 1. *Silva de salariis famil. quest. 1. num. 2.* Igitur Parochus non tenetur gratis funus ducere, exequias defunctorum celebrare, nuptias, seu sponfos benedicere. Et ut specialius ad exequias defunctorum accedamus, nubentiumque benedictiones, de quibus hic specialiter agitur, constat Ecclesiam non solum approbasse morem recipiendi aliquid à sacerdotibus funeris tempore, verum & indixisse, exegisseque huiusmodi prestationes: unde tot canones Ecclesie de mortuorum oblationibus non retinendis. Concil. Carthag. 4. can. 95. ibi: *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesis, aut difficulter reddunt, tanquam egenium necatores excommunicantur.* Concil. Agat. can. 4. Vascense can. 4. Arcelat. 2. can. 46. Aurel. 3. can. 22. Matifcon. 1. canon. 4. Et si defuncti corpus extra parochiam propriam tumuletur, quartam partem omnium, quæ occasione funeris obveniunt, parochio deberi docetur in cap. 1. cap. in nostra, cap. certificari, de sepultur. cap. officii, de testam. ubi de hac portione funeris occasione præstanda Parochio, & Episcopo egi. Quoad benedictiones nuptiales licitè etiam pro eis à Presbyteris pretium accipi, probatur ex eo, nam matrimonium est contractus humanus; & ita quatenus continet officium naturæ, licitè pecuniam in eo intercedere, docuit D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. & in matrimonio non dari simoniam, tenentur Glossa in cap. cum in Ecclesia, hoc tit. cap. quidquid 1. q. 1. Durandus in 4. dist. 26. quest. 3. Alensis 2. p. q. 109. art. 1. dub. 1. Ergo rectè, & licitè Capellanus de Villafranca exigebat pretium pro benedictionibus nubentium, & exequiis mortuorum.

Quæ dubitandi ratione minime obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, pro sepultura defunctorum pretium aliquod recipi non posse; sepultura autem in hac parte accipitur vel pro loco ipso, ubi corpus tumulatur, de qua egi in cap. abolenda, de sepultur. vel pro exequiis ipsius defuncti, officiique sepulture, cum corpus in ea conditur, de qua agitur in præfenti textu, & aliis supra citatis, in quibus exequiæ accipiuntur pro funeris pompa, ritibusque, dum corpus deferretur ad sepulturam; cuius vocis etymon assignant Durandus in ration. lib. 7. cap. 35. Jul. Lator. tit. 2. cap. 3. num. 200. quibus suppositis, ne actum in d. cap. abolenda, agamus, ac fastidiosè repetamus, sciendum est, frustrà hæreticos mortalitati solatia invidentes, ecclesiasticam pompam, & ornatum funerum, quasi nuperæ superstitionis commenta, fugillare, cantum, cereos, suffragia, & oblationes, quæ mitigandis defunctorum pœnis Ecclesia adhibet, iridentes, cum similes ritus à primis Ecclesie sæculis observatos legamus; & primò cum psalmis, & hymnis clericos corpora ipsa canendo ad sepulturam detulisse, constat ex cap. qui divina, cap. ubicumque 13. q. 2. ex D. Augustino lib. 9. confess. cap. 12. ubi de funere matris agens ait: *Evodium sumpro psalterio cantum inchoasse.* Et epist. 258. loquens de puero quodam notario ipsius Evodii mortuo, ait: *Solutus est, ergo exequias præbimus satis honorabiles, & dignas tanta anima; nam per triduum hymnis Deum collaudavi-*

mus super sepulchrum ipsius, & redemptionis sacramenta tertio die obtulimus. Sanctus Ambrosius lib. de viduis, viduæ continentis argumenta ista commemorat: *Ipse lugubris habitus, pompa funebri, fletus assiduus, & mæsta frons, in arantibus rugis impressa tristitia petulantiam premit, oculos restringit, libidines procaces avertit, & aspectus.* Et Nyssenus in exequiis Macrinæ, cantum lamentatione conditum refert; nec tantum sacerdotes psallebant, verum & aliis psallentibus, ab eis cadavera exportabantur. Unde de funere sancti Lupicini legitur in vitis SS. PP. *Dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odoris fragrantis thymiamatis.* D. Hieronymus ad Eustachium de epitaph. Paula, ibi: *Cum alii Pontifices lampadas, cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent.* Corippus lib. 3.

*Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgine tonat inde chorus, vox æthera pulsat.*

Unde cum Vandali hæretici hymnos in exequiis Catholicorum decantare prohiberent, ita conqueritur Victor Uticensis lib. 1. *Quis sustineat, atque possit sine lacrymis recordari, dum præcipere nostrorum corpora defunctorum sine solennitate hyminorum cum silentio ad sepulturam perducere.* Et lib. 2. *Qui nos solennibus orationibus sepulchri sunt morientes? Græcæ, & Latine Ecclesiarum consensus in illo exequiarum ritu indicat.* Joan. Episcopus lib. 5. jur. Græco Rom. seu lib. 1. respons. Est autem interrogatio apud eum, an liceat Græcos Romanos in Latinorum Ecclesiis sepelire; & vicissim Latinos in Græcorum Ecclesiis, communi quodam psallentium choro ex utrisque constato. Respondet Episcopus, id fieri citra noxiam posse. Illustrant F. I. sac. lib. 1. select. cap. 16. Ant. Bozcius tom. 1. Rom. subterr. cap. 19. Savarus ad Sidon. lib. 2. epist. 8. Baronius anno 34. num. 313. cum sequent. Cuiac. lib. 2. qq. Papin. in l. ult. de his qui notant. Deinde cum cereis, & luminariis defunctos offerri moris fuisse constat ex Gregorio Nysseno de obitu Macrinæ, ibi: *Ex utraque parte præcedebat non exiguus Diaconorum, ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant.* Nazianz. in funere Constantii Imperat. ibi: *Celebri pompa deducitur, religiosisque his etiam nostris officiis, hoc est, nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani piæ vita discessum ornandum existimavimus.* Corippus d. lib. 3. ibi:

*Totâ populus processit ab aula,
Mæstraque funereas accendunt agmina ceras,
Omnis in e xequias sexus convenit, & aras.*

Cujus ritus meminerunt Dionysius de Eccles. hierarch. cap. 7. D. Clemens lib. 6. constit. Apost. cap. 10. & 25. & lib. 8. cap. 48. Gregorius Turon. lib. 4. Hist. Franc. cap. 1. & alii congesti à Baronio tom. 2. anno 337. Jul. Latorus, d. tit. 2. cap. 3. num. 32. Rationem assignat D. Chrysostom. homil. 4. in epist. 2. ad Hebræos, ibi: *Dic mihi, quid sibi volunt ista fulgentes lampades? an non defunctos, tanquam athletas deducimus? Quid etiam hymni? an non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, jam coronaverit.* Plura de cereis in funere adhibitis Antonius Bozcius lib. 1. Romæ subterranea, cap. 18. Spondanus de cæmeteriis lib. 1. part. 3. cap. 7. Mendoza in can. 35. Concil. Illiber. Cum his psalmis, & cereis accensis deferretur olim defunctus ad locum, in quo sepeliendus

liendus erat, ubi plerumque Episcopus funus spectabat. Dionysius de *Eccles. Hierarch. cap. 7.* qui moris fuisse refert, mortuos ad Episcopum deferre: *Sumentes, inquit, mortuum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris.* Et postquam alias annectit caeremonias, quibus ipsi Episcopiungebantur inter iusta persolvenda, ait: *Postea venerabilis Praesul precem super eo sacratissimam peragit: finit à prece osculatur Episcopus mortuum, & omnes post illum.* Postquam omnes osculati sunt, infundit Pontifex mortuo oleum. Quare forsitan in Concilio Triburiensi *can. 15.* ita cautum fuit: *Ubiunque temporum, vel locorum facultas tulerit, apud majorem Ecclesiam, ubi Sedes est Episcopi, sepultura celebrentur.* Tunc dicebatur officium defunctorum. Victor. Uticensis ubi proxime, ibi: *Qui nos solennibus orationibus sepulturi morientes, quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus.* Petrus Damianus *epist. 1. cap. 6.* Nazian. *invektiv. 2. in Iul. ubi de morte Constantiae agit: de cuius officii origine plura adduxerunt Durantius in ration. lib. 1. cap. 33. Jul. Labor. d. tit. 2. num. 42.* Sequebatur Miltæ sacrificium, sine quo olim vix ullus fidelis sepultura tradebatur, ut probavi in *cap. 1. de celebratio- ne Missarum.*

6.
De Agape.

Tandem sciendum est, in more positum fuisse veteribus Christianis, ut quo die funebria sacra celebrabantur, solenne convivium Clero, pauperibusque exhiberetur; quod quia charitatis erat argumentum, nonnulli agapen vocitarunt. Eius consuetudinis meminerunt Tertul. *de anima, cap. 4.* ibi: *Vocas porro securos, si quando extra portam cum xenis, & matheis tibi potius parentans ad busta recedis, aut à bustis diluor redis.* Matheia enim, Athenæo interprete, dicta sunt pretiosa edulia, ut ibi notarunt Zerda, & Pamelius. Idem in *apolog. cap. 39.* ibi: *Cæna nostra de nomine rationem suam ostendit, vocatur agape id, quod dilectio penes Græcos est. Quantisumque sump- tibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sump- tum; siquidem quosque refrigerio isto juvamus, si honesta causa est convivii: reliquum ordinem disci- plinae de causa æstimate quis sit, de religionis officio; nihil scurrilitatis, nihil immodestie admittitur, non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis utile.* D. Cyprianus *lib. 3. contra Quirinum cap. 3.* agapen dilectionem fratrum dixit. Minutus in *Octavio: Convivia non tantum pudica colimus, sed sobria. Nec enim indulgenus epulis, aut convivia mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus.* Origines *lib. 3. in Iob. Memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devotè memo- riam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis spiam consummationem in fide postu- lantes: celebramus nimirum religiosos cum sacerdo- tibus convocantes, fideles unà cum Clero invitantes, ad huc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas sa- turantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam re- quievit defunctis animabus, quarum memoriam cele- bramus.* Meminerunt etiam sanctus Joannes Chrysost. *homil. 32. in Mattheum, ibi: Cur post mortem tuorum pauperes vocas.* D. August. *epist. 64. D. Hieronymus epist. 22.* quam consuetudi- nem probavit Ecclesia variis canonibus relatis in *cap. per simoniam, cap. nonnulli, 41. dist. cap. 1. cap. non oportet 3. 42. dist. Synod. Tullens. p. 2. cap. 4.* ibi: *Qui agapen pauperem defraudant, apud*

sanctos PP. eorum necatores vocantur. Concil. Nannetense *can. 15.* refert. Ant. August. in *epi- tom. lib. 21. tit. 26.* Hæc verò antiquissima in Ecclesia convivandi consuetudo, cum paulatim ambitione divitum, partim etiam multitudini insolentia, in abusum veniret, & in luxum, has inhonestas epulas Ecclesia, & similia con- vivia damnavit, cum sub nomine religionis cor- ruptelæ invaluissent. Synod. Laodic. *can. 28.* ibi: *Quod non oportet in locis Dominicis, vel in Ec- clesis eas, quæ dicuntur agapas, facere, & in do- mo comedere, & in accubitus sternere.* In col- lectione Martini Brachar. *can. 69.* ita legitur: *Non liceat Christianis prandia ad defunctorum se- pulchra deferre.* Aliter etiam habetur apud Gra- tianum in *cap. non oportet, 42. distinctione,* qui- bus similia extant in Synodo CP. *6. can. 74. Altissiod. can. 9.* De his conviviis agens D. Au- gustin. *lib. de mor. Eccles. Cathol. ait: Novi mul- tos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant.* Et in sermone de virginis. *& sobriet. ibi: Fugite cra- pulam, quæ solis lugentibus, à consolantibus ami- cis, vel proximis in Ecclesiis ingeritur.* Plura de his agapis congefert Antonius Bozius *lib. 6. Romæ subter. cap. 27. Spondanus de cæmeteriis lib. 1. p. 3. cap. 17. Zerda ad Tertul. in Apolog. cap. 39. not. 242. Petrus Gregor. lib. 3. de repu- blic. cap. 3. Cæsar Costa lib. 1. variar. ambiguit. cap. 17. Crespetius in summa, verbo agape, Rosyueidus in onomast. eod. verbo, Meurlius in Glossario, eod. verbo, Kochier. in fac. histor. cent. 2. cap. 3. & 84. Baronius anno 57. & 397. Pan- cirola *lib. 1. var. cap. 86. ad finem, Suarez tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 6. Landtraeter. de veteri cle- rico lib. 2. cap. 46. Albaspineus lib. 1. observ. cap. 18. Zerda in adversariis, cap. 146. Ambia- nas ad Tertul. de exhort. castit. cap. 11. observ. 2. & de jejuniis cap. 17. obs. 1. & in apolog. cap. 8. observ. 2. Gazeus ad Casianum collat. 24. cap. 12. Execim l. unic. Cod. de palatis, fol. 59. Justel. in not. ad can. Eccles. univers. fol. 179. Vicecomes lib. 4. de ritibus Missæ, cap. 21.**

His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum exequiæ defunctorum, & benedictiones nubentium sint ministeria eccle- siastica, & spiritalia, *cap. cum Ecclesia, hoc titul.* quia in his omnibus reperitur exercitium ordinis, ideo pro eis exigere pretium simonia est, ut etiam idem crimen committitur in benedi- ctionibus Chrismatibus, Ecclesiarum, & similibus sacramentalibus, si pretium pro eis detur, ut probat Gibalinus *de simon. quest. 7. consec. 6.* faciunt omnia, quæ adduximus in *cap. abolenda, de sepult.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, cui facile respondetur, si animadvertamus, in præ- senti textu agi de paroco, qui beneficium ec- clesiasticum obtinebat in Ecclesia defuncti; unde ratione proprii officii tenebatur exequiis de- functorum propriæ parochiæ interesse. Alii verò clerici, qui ad hujusmodi officia celebranda ra- tione proprii officii non tenentur, pro sua su- stentatione aliquid, non ut pretium ipsius officii recipere possunt, ex proxime traditis. Nec ob- stat augmentum ipsius difficultatis; procedit enim quod in eo expendebamus, in oblationi- bus à fidelibus pro defunctis factis, quæ semper in Ecclesia receptæ, & approbatæ fuerunt, dum pro fidelibus catholicis, & in pace Ecclesiæ, & communionem defunctis offerebantur, ut probavi

bavi in can. 28. Concil. Illiber. Immo & sublati illis conviviis funeralibus, de quibus proximè egimus, in eorum locum suffecta fuit pecunia, quæ presbyteris & clericis dari solebat ob funeris celebrationem. D. Augustinus epist. 64. ibi: Oblationes, quas pro spiritibus dormientium, quos verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, sed si quis aliquid pecunie offerre voluerit, &c. notavit Vicecomes dict. lib. 4. de ritibus Missæ, cap. final. & ex ipsis oblationibus certa portio Episcopo, & Parocho prælabatur, juxta tradita in cap. de quarta, de prescript. cap. 1. de sepult. Nec obstat, quod expendebamus de contractu matrimonii; nam in matrimonio distinguenda est ratio sacramenti à ratione contractus; ut contractus enim politicus admittit pacta, & conventiones super dote, & donationibus propter nuptias, ut probabimus in cap. 4. de condit. apposit. at verò ut sacramentum est, nullam pretii pactionem accipit; ideo verò Glossa & alii supra citati id negarunt, quia existimant, per illud non conferri gratiam, quod falsissimum, & erroneum est, cum contrarium in Conciliis Florent. & Trident. declaratum sit: immò etiam sacramentum hoc non conferret gratiam, ut falsò supponit Glossa in dict. cap. cum in Ecclesia, non bene inde inferret, licitam esse ejus venditionem, cum aliæ benedictiones ab Ecclesia institutæ sint, quæ gratiam non conferunt ex opere operato; & tamen si pretium pro eis datur, committitur simonia. Quare etiam si matrimonium non conferret gratiam ex opere operato, tamen si esset sacramentum, ut fatetur Glossa, in eo simonia committentur.

lib. 12. histor. Schot. ibi: Illud verò inter cetera haud indignum memorie existimem, abrogatam pessimam eam, ac pestilentem consuetudinem, olim ab Eveno tyranno ethnico inductam, ut Domini, Presbyteri in suo territorio sponsarum omnium virginitatem præbarent, dimidiata argenti marcâ unam noctem à Prefectorum uxoribus redimente sponsa, quam etiam numerum pendere coguntur. Vocantque vulgò mulierum Marketam. Nec dissimile est, quod haud longè à Lovanio in pago sit quodam, ubi sue sponsa stuprum à loci Prefecto sponsum redemit: qua servitute nulla unquam fando est audita. Cum ergo Gregorius agat de pensatione rusticorum Ecclesiæ ratione ministerii, non verò quia pecunia illa daretur, ut pretium benedictionum nuptialium, aut rei spiritualis; ideo impune exigi supponit Gregorius, & conductoribus massarum adjudicavit. Eadem etiam ratione Zacharias Pontifex in epist. 2. permittit Bonifacio Moguntino Episcopo, ut duodecim denarios annui census exigat pro unoquoque conjugio, his verbis: De censu verò expectando, eo quod impetrare à Francis ad reddendum Ecclesiis, & monasteriis non potuisti aliud, quam ut revertente anno ab unoquoque conjugio servorum duodecim denarii reddantur: hoc gratias Deo, quia potuisti impetrare, & cum Dominus donaverit quietem, augebuntur & luminaria Sanctorum. Similiter & apud Græcos certum constitutum fuit stipendium Episcopo pro nuptiis eorum, qui intra fines dioceseos nubere; de quo ita Alexius Comnenus apud Leonclayium lib. 2. juris Orient. Præterea secundum sanctionem Imperatoris Monomachi felicis recordationis, majestas mea statuit, ut cum aliqui subjecti territorio cuiuscunque regionis Episcoporum conjugiorum legitime uxoribus junguntur, accipiat Episcopus à sponso quidem genero nummum aureum unum, à sponsa verò limbum unum 12. quemadmodum & ab antiquo sancitum est.

Deinde obstat textus in novel. 59. Justin. cap. 6 in illis verbis: Hac itaque omnia desinimus super his, qui non per munificentiam quarunt duos majores lectos in venerabili vasorum custodiaro postos. Dicitur autem Studii gloriosa memoria, & Stephani magnifica memoria. Si quis enim illos voluerit accipere, utpote & pluribus hominibus egentes, & custodia potiori, & omnimoda curiostate egentes, hoc non jungimus his, quæ prius diximus, sed tanquam magnificam exhibens voluntatem, quantumcunque pro labore Decani, aut Reverendissimi Assisteris, vel Canonici dare placuerit, tantum & præbeat: non tamen valentibus transcendere decem solidorum quantitatem in duobus lectis, Studii, & Stephani. In deaurato autem posto in sanctissima maiore Ecclesia, vel uno solido pro eo forsan faciendo, quatuor solidorum. Assisteris autem, & Canonici, & acolythis duplicia accipientibus, quam prius de his desinimus. Ex quibus constat, pretium pro exequiis defunctorum recipi posse à Canonici, & aliis ministris. Pro cuius textus expositione sciendum est, inter alia de exequiis, & defunctorum funeribus legibus Romanis prudenter cauta, præcipuum fuisse, ut gratuita essent sepultura, ut exequiarum tota ratio sine cuiusquam privati hominis sumptu certâ aliqua lege constitueretur: quare Constantinus non gentas, & quinquaginta officinas instituit, quæ ab omnibus essent vectigalibus immunes, ut ad rem funebrem suppeditarent leeticarios, sive, ut tunc vocabantur Decanos. Hi in collegia, seu decurias distincti erant, ad eosque tota cura libitina, & exequia-

9. Sed supra traditæ assertioni obstat D. Gregorius lib. 1. in dict. 9. epist. 42. in illis verbis: Pervenit etiam ad nos, quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiuntur, quibus præcipimus, ut omne commodum nuptiarum unius solidi summam nullatenus excedat: si qui sunt pauperes etiam minus dare debeant; si qui autem divites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur. Ex quibus verbis aperte deducitur, pro nuptiis rusticorum, seu eorum benedictione pretium recipi posse. Ergo absque ulla simoniæ labe Parochus in præfati pecuniam pro benedictionibus nuptialibus extorquebat. Pro cuius textus expositione sciendum est, olim à rusticis, & colonis prædiorum vectigal nuptiarum Dominis pendit, quod Galli suo idiotismo appellabant, foris maritagium, ut refert Pitheus ad consuet. Trecentis, action. 3. quod genus indici à Caligula inventum refert Suetonius in eo, cap. 40. & illud acerbissimè exactum etiam à colonis prædiorum Ecclesiæ Romanæ, constat ex præfati epistola, & refert Alteserra lib. 3. de Ducibus cap. 1. donec modus impositus fuit à Gregorio, videlicet, ut unum tantum solidum à quolibet rustico penderetur: non tamen in præfati casu pecunia illa præstatur Parocho matrimonio assistenti, seu nuptias celebranti; sed à rusticis pendebatur, quatenus erant coloni Ecclesiæ; ut alii coloni pendebant Dominis secularibus apud varias gentes. Apud Schotos deterior longè, ac foedior viguit consuetudo, videlicet ut Dominis, & Præfatis sponsarum integritatem uno coitu experiri liceret: sed ea tandem à Malconio III. Rege sublata, suadente sanctissima uxore Margareta, & pudicitia nummo redempta fuit, ut refert Vergil: lib. 10. hist. Angliæ, Hector Boëtius D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

10
Exponitur
novel. 59.
Justin.

rum procuratio pertinebat. Iustinian. *in d. novel.* 59. ait vocatos esse copiasas, de quibus *in l. 1. C. Theodos. de iust. alio collat. l. in Ariminesi 15. eod. Codice de Episcop. novel. Iustin. 3. ubi Cuiac. Panciro-la lib. 2. var. cap. 163. Quintanadvennas lib. 1. ec-cles. cap. 3. num. 9. Deinde Honorius, & Theodo-sius eandem Constantini legem probarunt *in l. non plures, Cod. de sacros. Eccles. sed Imperator A-nastafius huic lectricariorum collegio addidit centum, & quinquaginta officinas, ut efficeren-tur centum & mille. Sed quia hoc prae-textu mul-tifese subducebant à vectigalibus solvendis, Iustin. *in novel.* 43. numerum contraxit: quae constitutio conferenda est cum dicta novella 59. ubi agit de copiasas canonicis, asceteriis, & a-colythis, qui deducendis cadaveribus operam dabant, nam asceterii, & canonici praecinebant; a-colythi verò prae-lucebant, ut referunt Cuiac. & Balduinus *in dict. novel.* 43. Spondanus *de cemet-eris lib. 1. part. 2. cap. 9. Germonius lib. 2. de sac. im-mun. cap. 2. Antonius Bozius tom. 1. Roma sub-terranea. lib. 1. cap. 13. Deinde sciendum est, fe-retrum ad deferenda corpora defunctorum triplex in urbe Constantinop. fuisse. Primum, quod studij dicebatur; secundum paulò illu-strius, Stephani appellatum; tertium auro inter-***

textum maioris Ecclesiae, quo opulentes des-ferebantur. Erant etiam lecticae communes ad funus plebeiorum. Illudque discrimen inter ea lecticarum, & feretrorum genera dabatur, nam commune feretrum, gratis, & sine pretio conce-debatur; at Studij, Stephani, & maioris Ecclesiae pecunià conducebantur; Studij quidem, & Ste-phani summà solidorum duodecim; ma-joris Ecclesiae solidorum quatuor. Quibus suppo-sitis apparet de hac pretii praestatione pro fe-retro agi in dicta novella 59. non verò de ulla pecunià exactione pro exequiis defunctorum. In ea novella 59. apud Iulianum Antecessorem 53. haec constitutio loquitur de impensis, quae in funeribus mortuorum sunt, & ante omnia mille centum ergasteria in Constan-tinop. civitate immunitatem habere iussit, ut funera ducant. Sed & redditum funeribus desti-natum ab Anastasio Imperatore confirmavit, & funeribus deputavit, & dedit singulis cadave-ribus, sive singulis lecticis mortuorum, unum asceterium, id est octo sanctimonialis psallen-tes, & tres acolythos, ita ut nihil acciperent, sed gratis eum deducerent. Explicat Filescap. lib. 1. *selest. cap. 16.*

C A P V T XXIX.

Idem^a Cantuariensi Archiepiscopo.

Dilectus filius Magister A. nuncius tuus pro parte tua fecit in audientia nostra proponi, quod cum Cant. diocesim secundum praedecessorum tuorum con-suetudinem visitas, ut quae corrigenda sunt, corrigas, & statuas secundum Deum, quae videris statuenda, in^b monasteriis, & canonicis regularibus, & religiosis locis pullulasse reperis simoniacam pravitatem, ita ut in eis multi pretio sint^c recepti, qui potius gratis recipi debuissent, immò etiam ad religionis observantiam invita-ri. Dubitas igitur, utrum quia^d multitudo reperitur in causa, severitati sit aliquid detrahendum, an in tales debeas exigere rigorem canonicæ disciplinae. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod si adversus eos, qui labi fuerint huius-modi maculati, accusatio coram te fuerit canonicè instituta: postquam crimen ordine fuerit iudicatio comprobatum, tam in dantes, quam recipientes, canonicæ severitatis exerceas ultionem. Quod si de hoc tibi per solam inquisitionem con-stiterit, eos, qui per simoniacam pravitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos ad agendaem poenitentiam ad monasteria dirigas^e arctiora. Abbatibus au-tem, Abbatibus, Prioribus, Prælatibus quibuslibet, & officialibus eorundem in-jungas poenitentiam competentem, & donec illam peregerint, eos à sacrorum ordi-num executione suspendas. Studeas autem omnibus per Cant. diocesim sub intermi-natione anathematis, auctoritate etiam tam nostrâ, quam tuâ districtius inhibere, ne talia praesumant ulterius attentare; sed illud dumtaxat gratanter accipiant, quod sine taxatione fuerit gratis oblatum, in jungens Episcopis tuis, ut hanc ipsam for-mam per suas dioceses studeant observare.

NOTÆ.

1. ^a *Cantuariensi.*) Ita etiam legitur in tertia col-lectione, *sub hoc titul. cap. 2. de qua Me-tropoli nonnulla adduxi in capite secundo de re-scriptis.*
 2. ^b *Monasteriis.*) Non exemptis videlicet, ali-às nec visitare, nec delicta inquirere posset, jux-ta tradita in *capite licet, capite grave, de offic. Or-din.*
^c *Sunt recepti.*) Et ita cum vitio simoniae, juxta tradita supra in *cap. veniens.*
^d *Multitudo.*) Ob multitudinem peccan-

tium aliquid detrahendum esse poenarum seve-ritati, probavi in *cap. ...*
^e *Arctiora.*) De hac poena detrudendi in ar-ctiora monasteria, poenitentia peragenda causâ, egimus in *cap. 1. de regul.*

COMMENTARIUM.

IN hoc delicto simoniae ob ejus gravitatem, & atrocitatem aequalem poenam imponi, sive de-lictum claruerit per accusationis modum, sive per inquisitionem, probavi in *c. inquisitionis, de accus.* Unde

Vnde difficilis est præfens textus, quatenus in eo Innocentius docet, quod si per accusationem canonicè apparuerit, & confliterit in iudicio de simonia à regularibus commissa, juxta severitatem canonicam, de qua *in cap. veniens, cap. de regularibus, hoc titul. compefcantur*; si verò tantum per inquisitionem confliterit eos simoniam commiffisse, non deponitionis pœnâ, sed potius suspensionis, donec pœnitentiam peregerint, in arctiora monasteria esse detrudendos: unde cognoscitur diverfam pœnam, mitioremque imponi, cum delictum per inquisitionem claruit, ac quando per accusationem probatum fuit. Quare pro hujus textus expositio-
 2: ne varia adduxerunt Anguianus *lib. 2. de legibus cap. 6.* Luna, & Arellanus *lib. 5. Antinom. 1.* quibus omiffis dicendum est, inquisitionem duplicem esse, aliam generalem, specialem aliam, ut probavi in *dit. cap. inquisitionis*. Generalis appellatur quando Prælati visitans suam diœcesim inquirat de vita, & moribus subditorum generaliter, ut *in cap. irre-*

fragabili, de offic. ordin. Specialis quando infamiâ præcedente contra aliquem, ad inquisitionem certi delicti specialiter proceditur, de quo inquisitionis iudicio agitur *in d. c. inquisitionis*. Vnde si simonia vitium appareat, & probetur per iudicium inquisitionis speciale, eadem pœnâ est afficiendus reus simonia; ac si in iudicio accusatus esset, & probaretur crimen, si verò tantum per inquisitionem generalem, de qua in præfenti agitur, crimen simonia apparuerit, non est irroganda pœna ordinaria. Differentiæ ratio ex eo provenit, quia in inquisitione speciali procedit infamiâ, quæ vicem accusatoris gerit; unde reus potest puniri pœnâ ordinariâ; in inquisitione verò generali, cum tantum secretò, nullâ infamiâ præcedente constat, reum simoniam commiffisse, ne publicâ infamiâ, notetur impositâ pœnâ ordinariâ, qui nec accusatus, nec iudicatus est, mitiori pœna & extraordinaria affici debet ex Innocentii sententia in præfenti.

CAPVT XXX.

Idem Priori Sancti Victoris, & Magistris I. Bonon. & L. Modocen.
 Canoniceis.

ICet Heli summus Sacerdos in se ipso bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animadversionis divinæ vindictam accepit, dum filiis ejus in bello peremptis, ipse de sella corruens, fractis cervicibus hexspiravit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentius debet Prælati assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas contra quos, ut de notioribus excessibus taceatur, etsi tribus modis procedi possit, per accusationem videlicet, denunciationem, & inquisitionem ipsorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitimam debet præcedere ^d inscriptio, sic & ^e denunciationem charitativa correctio, & ^f inquisitionem clamosa debet insinuatio prævenire. Descendam, inquit ^g Dominus, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: tunc enim clamor pervenit ad Prælatum, cum per publicam famam, aut insinuationem frequentem subditorum sibi referuntur excessus; & tunc debet descendere, & videre, & inquirere, utrum clamorem veritas comitetur. Nam juxta canonicas sanctiones, si quid de quocumque clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum justè possit offendere, non facile credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita: sed coram Ecclesiæ senioribus diligenter est veritas præscrutanda, ut si rei poposcerit qualitas, canonica distinctio feriat culpam delinquentis, non tanquam ipse sit idem accusator, & iudex, sed quasi famâ deferente, vel denunciante clamore, sui officii debitum exequatur, eo semper adhibito moderamine, ut juxta formam iudicii, sententiæ quoque ^h forma dictetur. Cum igitur de Abbate ⁱ Pomposianen. ea nobis frequenter insinuatæ fuissent, quæ ab honestate regulari nimium dissonabant, inquisitionem eorum viris discretis comisimus faciendam, qui cum minimè processissent ad iteratum sæpè clamorem, de communi fratrum nostrorum consilio citavimus ad præsentiam nostram Abbatem, & monachos, ut per nos ipsos causâ morbi plenius inquisitâ, plagam ipsam melius curaremus. Cum igitur ad præsentiam nostram accedentes quidam ex monachis nobis ipsi Abbatem de simonia, perjurio, dilapidatione, ac insufficientia derulerint, contra quos idem Abbas excepit, quod denunciationem hujusmodi fraterna correctio, secundum evangelicam, regulam non præcesserat, iidemque constanter assererent, quod correctionem hujusmodi præmississent, licet ad id probandum monachorum juramenta fuissent prohibita; quia tamen super hoc ipso nondum contendere desistebant, nos, ut prædiximus, frequentibus clamoribus excitati, ex officio nostro volumus inquirere de præmissis, omnes omnino monachos, qui vel cum ipso, vel contra ipsum Abbatem accefferant, juramenti vinculo astringentes, ut de propositis plenè, quâ scirent, exprimerent veritatem: quorum
 D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V. K 2 depositions

depositiones in scriptis redactæ, cum publicatæ fuissent, super illis cœperunt multipliciter disputare. Quia verò tum ex assertione monachorum, tum ex Abbatis confessione cognovimus, quod idem Abbas non modicam summam pecuniæ relictam à prædecessore suo totam expenderat, & in alia summa majori monasterium obligaverat, nos eum juxta legitimas, & canonicas sanctiones, propter has, & alias præsumptiones, quasi de dilapidatione suspectum ab administratione Abbatia duximus^k suspendendum: & quia per testes simonia multis modis probata videbatur esse contra ipsum Abbatem, ipse contra testes multas exceptiones opposuit; super quibus utrimque fuit multipliciter disputatum, aliis asserentibus, in crimine simoniæ, sicut in crimine læsæ majestatis, omnes indifferenter, tam infames, quam criminosos, non solum ad accusandum, sed ad testificandum etiam admittendos, cum ad instar publici criminis, & læsæ majestatis procedit^l accusatio simoniæ, multis super hoc, & legibus, & canonibus allegatis; aliis è contrario respondentibus, quod licet hæc duo crimina, quantum ad accusationem quasi paria judicentur, differunt autem in multis; cum alia poena pro uno, & alia pro altero inferatur, & inter personas accusatorum; & testium sit utique distinguendum, cum non per accusatores, vel testes crimina probentur, multis nihilominus super hoc & rationibus, & argumentis inductis. Ne verò vel innocentia puritas confusa succumberet, vel simoniæ pravitas effugeret impunita; nos æquitate pensata, nec omnes exceptiones contra testes oppositas duximus admittendas, nec repellendas duximus universas; sed illas dumtaxat probandas admisimus, quæ fortè probatæ, non de zelo justitiæ, sed malignitatis fomite procedere viderentur, conspirationes scilicet, & inimicitias capitales; ceteras autem objectiones oppositas, ut furti, adulterii, propter immanitatem hæresisⁿ simoniæ, ad cujus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas; quoniam etsi fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuaerent ex toto, præsertim cum alia contigerit adminicula suffragari. Ad probandas ergo exceptiones admittas, Abbas quoddam protulit instrumentum, ad quod reprobandum cum testes fuissent ex altera parte producti, facultatem sibi petiit indulgeri, ut in partibus suis instrumentum hujusmodi comprobaret. Cum ergo judicantem oporteat cuncta rimari, discretioni vestræ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus intra sex hebdomadas post susceptionem præsentium probationes, quas Abbas, vel procurator ipsius ad probandum solummodò instrumentum, cujus rescriptum vobis sub bulla nostra transmittimus, vel reprobandum pars altera duxit exhibendas, diligenti studio recipere procuretis sub testimonio litterarum vestrarum inclusas, eas nobis fideliter destinantes attentius provisuri, ut viâ regiâ procedentes, non ad sinistram, nec ad dexteram declinetis. Quod si non omnes, &c. Duo vestrum, &c. Datum Lateran. iv. nonas Decembris.

NOTE.

1. ^a *Sancti Victoris*) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 3. & in epistolis editis à Sirleto, fol. 424. ex quo registro textum hunc transcribo. De monasterio Sancti Victoris canonicorum Regularium in diocesi Bononiensi egi in cap. cum in Ecclesia, de majori. & obed. De Modocensi diocesi egi in cap. 17. de rescriptis.
- ^b *Exspiravit.*) Ut refertur lib. 1. Regum cap. 4. & ejus historia meminerunt D. Chrysostomus homil. 17 in Mattheum, D. Hieronym. relatus in cap. legant, 37. dist. D. August. lib. 17. de civit. Dei, cap. 5. & ad mores christianè instruendos eleganti stilo patrio idiomate dedit Magnus pietate, religione, & literis vir, tempestatis nostræ Ambrosius alter D. Ioannes à Palafox lib. 1. hist. sacra.
- ^c *Denunciationem.*) De qua egi in c. 2. hoc titulo.
- ^d *Inscriptio.*) De qua egi in cap. super his, de accusat.
- ^e *Denunciationem.*) De qua in cap. 2. eod. titulo.
- ^f *Inquisitionem.*) Ut probavi in cap. inquisitionis officium, de accusat.
- ^g *Dominus.*) Genesis cap. 19.
2. ^h *Forma dicitur.*) Nam quando proceditur

per accusationem, poena ordinaria irroganda est; quando verò per inquisitionem, mitior, & extraordinaria, ut probavi in c. inquisitionis, de accusat.

ⁱ *Pomposian.*) Credo esse nomen proprium Abbatis, nam nullum monasterium legi hujus nominis.

ⁱ *Regulam Evangelicam.*) De qua egi in cap. novit, de iudicis.

^k *Suspendendum.*) Nam Prælati de dilapidatione suspectus debet etiam lite pendente suspendi ab administratione cap. final. 3. quest. 2. late probant Genueusis practica, quest. 575. Bernardus Diaz in praxi, cap. 71. Petrus Gregorius lib. 4. partit. tit. 7. cap. 5.

^l *Accusatio simoniæ.*) Ut probavi supra in cap. 3.

^m *Inimicitias.*) Quæ in gravioribus etiam delictis attenduntur, ut inimicus, nec ut accusator, nec ut testis admittatur, ut probavi in cap. meminimus, de accusat. & docet Menochius lib. 1. de arbit. quest. 28. per totam.

ⁿ *Hæresis, simoniæ.* Quatenus simonia hæresis sit, exposui supra in cap. 1.

CAPVT XXXI.

* Idem.

Pertuas nobis litteras intimasti, te plurimum dubitare super quadam epistola decretali, quam nos asseris edidisse, de testibus admittendis contra simoniacam pravitatem. Noveris igitur incunctanter, quod nos illam epistolam, quæ sic incipit: *Quamvis ad abolendam*, nequaquam edidimus, sed aliam, quæ sic incipit: *Licet Heli*, nos edidisse fatemur, ad cuius intelligentiam credimus distinguendum, utrum is, contra quem agitur, de simoniaca pravitare denuntietur civiliter, an criminaliter accusetur; & utrum agatur secundum juris rigorem, an secundum temperantiam æquitatis. Item utrum sit regularis ipse, qui jam renuntiaverit mundo; an secularis, qui adhuc in mundo existat; & utrum inferioris sit gradus, an excellentioris sit dignitatis; ad hæc, utrum antè fuisset claræ opinionis, & bonæ famæ; an graviter infamatus, & valdè suspectus; & utrum de facili possit puniri, an sine scandalo nequeat condemnari. Præterea utrum testes sint honesti, an criminosi; & utrum iam sint emendati de crimine, an adhuc in crimine perseverent: rursus utrum crimina sint eadem vel minora; an paria, vel majora; utrumve testes ex zelo justitiæ, an ex malignitatis fomite deposuisse credantur; denique utrum ad simoniacam pravitatem deregendam sola dicta testium inducantur, an alia etiam adminicula suffragentur. Hæc omnia sunt ad intelligentiam illius epistolæ distinguenda, sicut ex serie ipsius epistolæ potest perpendere diligens indagator. Ille quidem Pomposianus Abbas, qui jam pridem renunciavit mundo, erat de simonia, perjurio, dilapidatione, ac insufficientia graviter infamatus; cumque per monachos, qui juraverant testimonium perhibere veritati, simonia multis modis videretur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones opposuit, conspirationes videlicet, & inimicitias capitales, furtum, & adulterium, ut eos à testimonio removeret. Nos verò, ne innocentia puritas confusa succumberet, vel simoniæ pravitatis effugeret impunita, illas duntaxat exceptiones probandas admisimus, quibus fortè probatis, testes non zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite processisse constaret, ut conspirationes, & inimicitias capitales: cæteras autem exceptiones, ut furti, adulterii, propter inhumanitatem hæresis simoniacæ, ad cuius comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas; quoniam etsi probationes fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, aliis adminiculis suffragantibus, præsertim cum testes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra tales taliter duximus admittendos, sed non secundum rigorem juris; sed secundum temperantiam æquitatis, cum ageretur non criminaliter, ut deponeretur ab ordine; sed civiliter, ut ab administratione amoveretur, tanquam immeritus & damnosus. Et utique tales Prælati ex levioribus causis possunt ab administratione amoveri, maxime per Summum Pontificem, qui potestatem habet non solummodò judicandi, verum etiam disponendi, sicut quorundam religiosorum approbata consuetudo poposcit; unde prædictus Abbas non expectatâ sententiâ, quasi malè conscius sibi cessit.

NOTÆ.

^a *Idem.* Ita etiam legitur in tertia collectio-
ne sub hoc titulo. cap. 4. nullibi tamen exprimitur cui referat Pontifex: tantum ex textu serie cognoscitur, textum hunc esse Glossam præcedentis, siquidem in eo tantum intendit Innocentius exponere quod de testibus criminosis admittendis in causa simoniæ dixerat in textu præcedenti.

^b *Quamvis ad abolendam.* Extat in c. 4. hoc tit. in 2. collect.

^c *Criminaliter.* Quando dicatur iudicium criminale, quando civile, exposui in cap. tua, de Procurat.

^d *Debilitarent.* Quod in crimine hæresis, D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

aliisque fidei causis contingit, in quibus etsi alias non idonei testes admittantur, ut criminosi, & socii ejusdem criminis, cap. in fidei favorem, de hæretic. in 6. tamen eorum fides in parte minuitur, ut probat Corraf. lib. 5. miscel. cap. 20. per tot.

^e *Præsertim.* Non tamen negat Innocentius idem dicendum etsi emendati non sint, in crimine simoniæ, ob cuius gravitatem, etiam criminosi non emendati admittuntur, ut docent Abbas in præfenti, num. 9. Felinus num. final. alias nihil speciale daretur hoc casu in crimine simoniæ. Inimici tamen semper repelluntur. Borellus tom. 2. decisionum, ex num. 300.

^f *Amoveretur.* Per viam denuntiationis, aliàs verius est iudicium criminale dici ubi agitur de amotione

K 3

4.

amotione à beneficio, vel administratione, ut resoluit D. Joannes Vela de modo procedendi cap. 1. unde infert, in Ecclesiis, ubi Episcopus tenetur procedere cum adjunctis in causis criminalibus Ca-

nonicorum, teneri eos recipere, cum agit de amotione alicujus à praebeuda, ex eo, quod ordinem sacrum praebeuda annexum intra tempus à jure assignatum non receperit.

CAPUT XXXII.

Idem Abbati^a Gemblacensi.

Sicut nobis tuis litteris intimasti, cum in Gemblacen. Ecclesia fueris à tenera nutritus aetate, monachus factus ibidem, in aetate maturâ promotus consequenter fuisti ad regimen Ecclesiae^b Florin. Verum Abbate Gemblacen. de medio post sublato Gemblacen. Ecclesia, quae prius te tanquam filium habuerat, inscium & absentem, in Patrem, & Pastorem per electionem canonicam te revocavit. Et quoniam Pastore carebat Leodien. Ecclesia Cathedralis, postquam per dies aliquot moram feceras in Ecclesia Gemblacen. ad Colon. Ecclesiam, quae tua est Metropolis, & proficiscens, ipsius auctoritate in Gemblacen. Ecclesia interim ministrasti. Ceterum postquam in Leodien. Ecclesia fuit Episcopus^d institutus, is à te requisitus electionem de te factam noluit confirmare, aliud non praetendens, nisi quod de minori loco translatus fueras ad^e majorem. Verum cum hæc tibi fieri pro extorquenda pecunia comperisses, sub interminatione anathematis vetuisti, ne pro facto hujusmodi aliqua pecunia offerretur. Et cum quidam de fratribus timorem Dei pra oculis non habentes, interventu munerum ad ipsius Abbatiae regimen aspirarent, te in Ecclesia, quod malum imminens non nisi malo^f posset deprimi, praevidentes, te inconsulto, & penitus ignorante, contra excommunicationis à te factae sententiam venientes promiserunt, & pecuniam etiam persolverunt, sicut tibi postmodum est relatam, & sic ab Episcopo invitatus, institutionem ab eo accepisti liberè, quemadmodum postulabas. Super his ergo nos tua duxit discretio consulendos, si propter promissionem incognitam, & prohibitam, quemadmodum est praemissum, tibi peccati macula infligatur: vel si de promissione nunc tibi cognita, tu cum fratribus, qui fecerunt eam, debeas poenitere; cum in herere nolueris simoniacae pravitati, paratus pro grege Domini subire laborem, vel quamvis te conscientia non accuset, à suscepto regimine, si decreverimus, abstinere. Quamvis autem secundum sacrorum canonum instituta, etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longè diversum est non praebeere consensum, & expressim aliquid prohibere, taliter duximus respondendum: quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam, à qua postmodum minimè recessisti, aliquis te penitus^h ignorante promisit pecuniam, & exsolvit, praesertim cum aliquis ex his nullâ sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet quoad poenam, & culpam, sicut credimus, imputari, nisi postea forè consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut etiam reddendo solutam: alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esse culpabiles; quod si excessus eorum esset Ecclesiae manifestus, quae non judicat de occultis, poenam essent canonicam ferendi.

NOTÆ.

1. ^a Gemblacensi.) Gemblacum veteribus Germaniam oppidum, olim Leodienfis, hodie Namurcensis diocesis, intra cujus oppidi moenia constructum est monasterium hoc, quod construxit, adlocavit Gilbertus anno 921. ut referunt de ejus origine & amplitudine agentes Aubertus Mireus in orig. Canobiorum Belgia, cap. 29. per totum, Yepes tom. 5. chron. D. Benedicti, anno 921. Buccelinus tom. 1. Germania sacra, verbo Gemblacum. Guiberto ejus Abbati, qui decessit anno 1208. nulla est praesens epistola, quae reperitur inter editas à

Sirleto, fol. 371. & in 3. collect. sub hoc titulo cap. 5.

2. ^b Florinen.) Florinense monasterium etiam est in Germania, in finibus agri, cujus fundationem expressit chronographus Cameracensis lib. 3. his verbis: Gerardi Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reverentia siquidem loci, quo natus fuerat, immò & pro salute animae patris, & monasterium S. Gungulsi, quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit; & alterum S. Joannis ex rebus suis, & fratrum suorum, non tam pulchra edificiorum facie, quam forte operose

vate fundavit. Sed hoc quidem clericorum, illud verò monachorum; utrumque annuente Valdrico Leodiensium Episcopo, in cuius parochia sunt, consecravit. Denique illa Abbatia Domini Abbatis Richardi regimini commendata, sed & magni Imperatoris (Henrici) auctoritate firmata, cepit florere, ac postea magis, magisque (Deo gratias) tam fluentiâ rerum, quam sanctitate monachorum effloruit. Refert Aubertus Mireus in orig. Carnob. Belg. cap. 33.

3. c. Proficiens. Sed quare confirmationem non postulavit à Capitulo Leodiensi, cum Capitulum Sede vacante possit confirmare electiones eorum, quorum confirmatio ad Episcopum spectabat, cap. cum olim, de major. & obed. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt repetentes in præfenti. Hostiensis, & Innocentius asseruerunt, consuetudine, aut privilegio introductum fuisse, ut defuncto Episcopo Leodiensi Abbas Gemblacensis à Coloniensi Metropolitano confirmationem peteret. Sed hac sententiâ omiâsâ vera solutio petenda est ex historia hujus temporis, & statu Ecclesiæ Leodiensis. Sciendum enim est, tempore hujus electionis Guiberti, Leodiensem Ecclesiam Pastore caruisse, non tamen fuisse vacantem, quia potius duo ad eam erant electi Episcopi, Albertus videlicet, & Simon, qui ambo Romam profecti fuerant, ubi Simon Cardinalis creatus fuit, ut referunt Kratopolius in catal. Praesul. Leodiensium: & ita licet Pastore careret, quia Romæ erat, non tamen Capitulum tanquam Sede vacante poterat ipsum Abbatem confirmare; & ita Abbas ipse adiit proximum superiorem, videlicet Coloniensem Archiepiscopum,

qui illi permisit ministrare in eadem Abbatia, donec Episcopus Leodiensis eum confirmaret.

d. Institutus Hugo II. de Petraponte, de quo ait Kratopolius ubi proxime, quod cum esset admodum dissolutus moribus, postea se multum correxit, & multa opera bona fecit.

e. Ad majorem. Quod in Episcopis tantum prohibitum est, ex traditis in cap. 1. de translat. Episcopi.

f. Malo posset deprimi. Et sic pro redimenda vexatione pecuniam Episcopo dederunt, atque ita simoniam verè non perpetrarunt, juxta tradita supra in cap. Mattheus. Unde dum in fine hujus textus ait Innocentius, quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, penâ essent canonica ferendi, accipiendus est ita, ut si constaret seniores monasterii dedisse pecuniam ut pretium Episcopo pro confirmatione Abbatis, essent omnino puniendi: & si dicas eos simoniam commississe, supponendum est vexationem alio modo vitare potuissent.

g. Canonum. Cap. quisquis 1. quest. 1. cap. 1. 1. quest. 5.

h. Ignorante. Et contradicente, alias si tantum esset ignorans, confirmatio facta per simoniam esset nullius momenti, ex traditis supra in cap. de regular.

i. De occultis. Cap. 1. 1. 5. quest. 6. cap. erubescant, 32. dist. cap. tua nos, hoc titul. Probant Gibalinus de censur. part. 2. quest. 2. in fine, Mancinus cent. 2. general. cap. 167.

CAPVT XXXIII.

Idem Decano^a Belvacensi.

2. T V a nos duxit discretio consulendos, si aliquis alicui Ecclesiæ de bonis suis quædam obrulerit, petens, ut in vita sua sibi liceat eadem bona in ipsa Ecclesia pro præbenda tenere, bona recipi debeant sic oblata, & idem clericus assumi valeat in Canonicum eiusdem Ecclesiæ absque vitio simoniæ. Nos igitur devotioni tuæ taliter respondemus, quod si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, vel offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & ut in Canonicum admittatur, huiusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cum in talibus^b omnis pactio, aut conventio cessare debeant juxta canonicas sanctiones: si verò purè, ac sine pacto & conditione qualibet offerat bona sua, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona ipsa retinere sibi liceat pro præbenda, & clerici eiusdem Ecclesiæ purè consentiant, huiusmodi receptio procul dubio fieri poterit absque scrupulo simoniæ pravitatis. Licet autem taliter duxerimus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare; si tamen is, qui talem donationem facit ea^c intentione ducatur, ut propter temporalia bona, quæ offert spiritualia valeat adipisci, & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam illi, quàm iste apud districtum Iudicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles judicantur.

NOTÆ.

1. a. Belvacensi. Ita etiam legitur in tertia collecti-
one, sub hoc titul. cap. 6. ex qua restituo ejus
literam. De Ecclesia Belvacensi nonnulla notavi in
cap. 18. de foro comp.

b. Omnis pactio. Juxta tradita in c. fin. de pactis.

c. Intentione. Quia simonia mentalis tunc committitur, ut dicemus infra in cap. final.

COMMENTARIUM.

2. M O s olim fuit, ut in Clerum elegendi, in Ecclesiaque ordinandi pecunias Ecclesiæ offerrent, quibus postea præfidentes, seque de illo jactantes convitiis insectabantur eos, qui nullâ datâ pecuniâ propter egregia merita cooperari fuerant. Quam consuetudinem improbarunt PP. lex-
ta Synodi can. 5. his verbis: Eos igitur, qui glo-
riantur

riantur se per dationem auri ordinatos in Ecclesia, & in hac maligna consuetudine, qua alienat à Deo, & omni sacerdotio, sperant, & ex hoc impudenti facie, & non operata, eos probrosi, & contumeliosi verbis, qui ob sanctitatem vita à Spiritu sancto electi, & constituti sine datione auri sunt, inhonorant, primò quidem novissimum gradum sui ordinis accipere definiunt: quod si permanferint, per episcopiam, id est penitentiam, corrigantur. Ubi notarunt Balsamon, & Zonoras: Hallierius de sacris elect. sect. 7. cap. 2. art. 1. Etiam moris fuit, ut Episcopi, aliique Prælati in Ecclesia instituendi bona sua Ecclesie ipsi offerrent: quare D. Ambrosius eo tempore, quo Episcopus ordinatus fuit, aurum omne suum, & argentum, nec non prædia inter pauperes, & Ecclesiam distribuit. Idem de Joanne Eleemosynario Patriarcha Alexand. refert Leontius in ejus vita: & Marcionem ducenta festertia Ecclesie intulisse refert Tertul. de prescrip. cap. 30. quem morem probavit Iustin. in novell. 123. cap. 2. ibi: Si quis Episcoporum, sive ante suam ordinationem, sive post ordinationem voluerit proprias res, aut partem ea-

rum Ecclesie offerre, cujus sacerdotium accepit, non prohibemus: & omni condemnatione, & pena presentis legis liberum esse sancimus; sed etiam omni laude dignum iudicamus, quoniam hoc non est emptio, sed oblatio. Licet ut vitaretur omnis mali suspicio, Alex. II. in cap. ex multis 1. quest. 3. oblationem hanc prohibuerit his verbis: Ut nullus cujusque gradus pro Ecclesia beneficio aliquid audeat conferre, aut fabrica Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit distribuendum. Qui textus ex presenti lucem accipit, nam si Episcopus, vel Canonicus, dum promoventur ad Ecclesiam, bona sua, vel eorum partem purè, & liberaliter obtulerint, nullam simoniam commisisse dicentur: si verò ex pacto, aut conventionione inita bona illa contulerint, simoniam committunt, ut docet, & probat Hallierius dict. cap. 2. art. 1. quare rectè Innocentius in presenti improbat oblationem bonorum à Canonico factam, quia ex pacto, & conventionione ea tradebat, videlicet ut in Canonicum reciperetur, & bona ipsa pro præbenda retineret.

CAPUT XXXIV.

Idem à Priori Cartusensi.

PER tuas nobis litteras intimasti, quod cum G. in quadam domo Cartusien. Ordinis suscepisset habitum monachalem, termino suæ probationis completo, à diocesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus: sed postmodum didicit ex relatione quorundam, quod licet idem Episcopus aliàs viret honestus, multotiens tamen commiserat vitium simonia, propter quod monachus vehementi dolore turbatus in suscepto formidar ordine ministrare, nolens ab eodem Episcopo ad superiores ordines promoveri: unde cum eidem eremum exire non liceat, nec præfatus Episcopus ipsum, vel quemquam alium suæ diocesis ab Episcopo alio ordinari permittat, postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, quid cum præfato monacho in ordine jam suscepto, & suscipiendis superioribus sit agendum. Nos itaque respondemus, quod idem monachus in ordine sic suscepto securè ministret, sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne forsitan adificet ad gehennam; licet ex eo, quod conscientiam nimis habuit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus, quam utique non evadet, nisi deponat errorem.

NOTÆ

I. a. **C**artusensi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 7. in hac sexta collectione legitur Cantuariensi, sed malè, cum in presenti agatur de monacho Cartusien. & cum Præfato, hoc est Priore Magnæ Cartusie loquatur Innocentius: sanctus enim Brunus Doctor Parisiensis Cartusianorum Ordinem instituit in Sabaudia, juxta civitatem Gratianopolim, in loco inaccessibili, rupibus vasto, quem Cartusiam vocant; unde ab eo loco præclarus hic Ordo Cartusianorum dictus fuit, & etiam ab eo eremo, fratres Eremitæ dicti fuerunt. P. Venerabilis Cluniacensis Monachus, ibi: Charissimis, & Magnificè honorandis servis Dei in eremo Christi servientibus. Innocentius III. lib. 2. registr. 14. epist. 105. ubi Bosquetus. De hoc mentione fit in cap. sicut, de homicidio. Varia sunt cenobia, tam in Hispania, Italia, quam Gallia hujus præclarissimi Ordinis, de quibus, & eorum mira sanctimonia plura congesserunt D. Petrus Dulando in chron. Cartus. Petrus Sutor de vitis Cartus. Baronius

rom. 12. annal. anno 1086. num. 13. & anno 1092. num. 10. & anno 1101. num. 14. Tamaius à Salazar. rom. 5. martyrol. die 6. Octobris. D. Joseph de Valles in fund. Cartus. Theophilus Raynaud. rom. 17. tract. de benevol. in Religiosos fol. 409. Beyerlinch. in Theatro vitæ hum. verbo Cartusien. s.

COMMENTARIUM.

QUI scientes Episcopum aliquem simoniacum esse ab eo ordines petunt, vel non invitè ordinari patiuntur, suspensionem incurrunt, cap. si quis à simoniaco, cap. de catero, 1. quest. 1. tum quia Episcopi simoniaci, & ita suspensi, exercitium ordinis dare non possunt, quod non habent: tum ob immanitatem sceleris simonia, ut ita terreatur Episcopi, cum sciant neminem posse ab eis Ordines petere. Sed si per ignorantiam quis ab Episcopo simoniaco non simoniacè ordinetur, adhuc eget dispensatione, ut docuit Angelicus Præceptor 2. 2. quest. 100. art. 6. ad 2. his verbis: Nec propter præceptum eius, nec etiam propter excommunicationem, debere aliquem recipere ordinem ab Episcopo, quem sci-

scilicet simoniacè promotum; & si ordinetur, non recipere ordinis executionem, etiamsi ignoraret eum esse simoniacum; sed indigere dispensatione, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum sibi in facto illicito: ille autem, qui est ipso jure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios illicitè confert ordinem. Unde nullus debet ipse communicare recipiendo ab eo quacunq; ex causa: si autem ei non constet, non debet peccatum credere alterius; & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere. Addit tamen: Si autem Episcopus sit simoniacus aliquo alio modo, quàm per promotionem suam simoniacè factam, potest ab eo ordinem recipere, si sit occultum, quia non est suspensus quoad seipsum. Docent Suarez de censur. disput. 31. sect. 4. Hallier. de sacr. elect. sect. 7. cap. 1. art. 3. §. 3. Illud tamen valde olim dubitatum fuit, an subditus à Prelato suo, quem privatim simoniacum fuisse scit, ordinem recipere possit. Et Hugo Cardinalis in cap. nos 9. quest. 9. affirmavit, posse. Joannes Andreas & Bernardus in presenti textu negant, quorum sententia probatur ex hoc textu, ubi Innocentius jubet monacho Carthusiensi, qui

gradum Subdiaconatus receperat ab Episcopo, quem postea scierat simoniacum esse, ut in gradu suscepto ministraret; sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat: & ita olim etiam ob privatam scientiam simoniæ ab Episcopo commissæ, non licebat ab eo ordines recipere. Verum quia plura mala inde contingebant ex eo, quod privatâ auctoritate liceret ab Episcopo proprio discedere, nec ab eo velle ordines recipere propter suspicionem, aut rumorem simoniæ, ut referunt Surius in vita Sancti Gualberti, die 12, Jul. cap. 6 Petrus Damianus lib. 8. epist. 11. ad Civem Florentinos, obtinuit, ut post Extravag. Martini V. ad evitandâ, tantum Episcopum notoriè simoniacum teneatur subditus vitare, ut probat Hallierius supra, dict. §. 3. nec hodie præsens textus procedit, nec etiam monachus Carthusianus, qui ex privata tantum notitia audierat fuisse Episcopum proprium simoniacum, tenebatur illum vitare; immò potius ab eo ordines recipere valebat. Prosequuntur Hallierius, & Suarez ubi supra.

CAPUT XXXV.

Idem à Cantuar. Archiepiscopo.

IN tantum peccatis exigentibus corda quorundam simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ sanctionis, & in elusionem quodam modo divini iudicii lucris temporalibus inhiantes, ac dicentes in corde suo: Non est Deus, simoniam sub honesto nomine palliant, quasi mutato nomine culpa transferatur, & poena. Verum nec Deus secundum Apostolum irridetur, nec tales Simonis sectatores, etsi temporalem in præsentem forsan poenam evadant, in futuro tamen poenam non effugient sempiternam, cum nec honestas nominis criminis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum. Sanè pervenit ad audientiam nostram, quod cum olim quidam suffraganei tui pro chrismate Ecclesiæ contra canonicas sanctiones certam accipere consueverint pecuniæ quantitatem, metuentes poenam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipent, recipientes in media Quadragesima, quod recipere consuevere post Pascha: & ut causam accipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos prius chrismales, secundò paschales dicebat, consuetudinem mediæ Quadragesimæ nuncupantes. Quidam verò nec tempus solutionis, nec solvendorum nummorum in aliquo variarunt, veterem per omnia consuetudinem imitantes. Quia verò expressius exprimit venditionis speciem, qui prius recipit pretium, quàm rem conferat pretio, quamquam tempus recipiendæ mercedis dissimulando distulerit, & dissimulaverit differendo: licet utrumque in talibus periculosum sit, vel existat, cum gratis gratia conferenda sit, ne ipsam contingat, & rem, & nomen gratiæ demereri: f. t. per A. f. m. atque districtè præcipimus, quatenus auctoritate nostrâ fretus, & tuâ, taliter excessus corrigas supradictos, suffraganeos tuos, & officiales eorum man. præ. per cen. ecc. & sub. ap. ob. à tam illicita exactione compescens, quo ad nos de cætero super hoc querimonia deferri non possit, nec aliorum culpa tibi ob tuâ negligentiam meritum imputetur ad poenam: eademque auctoritate suffultus, pravam illam consuetudinem de tua provincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum investitura, Archidiaconi marcham argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem. Dat. Later. vi. Kal. Jul.

NOTÆ.

^a Cantuariensi. Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo de excess. prelat. cap. 1. & in epistolis editis à Sirleto, fol. 337. Ex quo registro restituo litteram huius textus. De

Cantuarensi Metropoli egi in cap. 2. de rescript. i.

^b Culpa transferatur. Ut de aliis notavi in cap. ea 15. hoc titulo.

^c Canonicas sanctiones. Congestas supra in dict. cap. ea, ubi commentarium huius textus invenies.

^d Recipit

2. ^d Recipit pretium.) Unde secundum leges civiles emptor tenetur prius offerre pretium, quam venditor rem venditam tradat, *l. Iulianus, §. offerre ff. de action. empti*; fortiusque ostenditur venditio, quando pretium rei precedit eius traditionem. Ratio est, quia traditio rei potest referri ad

plures contractus: sed interventio pretii solam emptionem respicit.

^e Officiales) Id est vicarios, ut notavi supra in titul. de offic. Vicarii.

^f Investitura.) Hanc ultimam partem exposui supra in cap. cum Ecclesia.

CAPUT XXXVI.

^a Idem

PER tuas nobis litteras intimasti, quod cum D. Iator presentium vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quendam presbyterum exoravit, ut ipsum ad Ecclesiam suam ^b titulum ^c presentaret: quod cum ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quod nunquam, si presentaret eundem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem: & sic ad presentationem ipsius extitit ordinatus, nec, ut asserit, in hoc se egisse illicitum aliquid intellexit. Unde cum postmodum vellet in Diaconum promoveri, Episcopo commoneante, ne quis interveniente promissione aliquam ordinatus accederet, idem recordatus promissionis istius, a susceptione ordinis Diaconatus cessavit, hoc tibi humiliter confitens, & per te postulans edoceri, utrum ex compromissione huiusmodi reus esset, & an liceret eidem in suscepto Subdiaconatus ordine ^d ministrare, & ad ordines ascendere ulteriores: unde fraternitas tua duxit Ap. Sed oraculum requirendum. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad ordines superiores ascendere, nec in suscepto debet ordine secundum rigorem canonicam ministrare.

NOTÆ.

1. ^a Idem.) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* nullibi tamen exprimitur cui referibat Pontifex.

^b Titulum.) Id est Ecclesiam, juxta tradita late in *cap. 4. de prob.*

^c Presentaret.) Juxta morem antiquum, secundum quem Parochus coadjutorem presentabat, parte sui beneficii illi assignata, ut probavi in *cap. extirpando, de Prebend.*

2. ^d Ministrare.) Quia suspensus erat, cum simoniace ordinatus esset, non quia absque titulo, seu cum titulo falso promotus fuisset; nam ex eo suspensionem non incurrerat, ut probavi in *cap. 4. de prob.* sed propter pactum initum ipso cum presbytero non petendi portionem aliquam fructuum in ipsa Ecclesia, ut similiter in *cap. final. hoc titul.* eadem suspensio incurritur ab eo, qui pacto convento promisit se non presbiterum necessaria ab Episcopo ordinante, qui illi de necessariis providere cogebatur, juxta tradita in *dict. cap. 4.* nam cum iste remisit quid temporale, videlicet partem fructuum, seu sustentationem sibi debitam, ut spirituale, id est sacrum ordinem, assequeretur, ideo simoniam commisit; nam remittere idem est

ac dare: probant in terminis textus in *cap. alia 8. quest. 3. cap. veniens, el 2. de restibus.* Faciunt textus in *l. si mulier. 10. ff. de condit. caus. dat. l. qui etiam, ff. de calumn.* Docent Ugolinus de simonia tabul. 4. num. 3. Quaranta in *summa Bul. verbo Ordo*, Gibalinus de simon. cap. 16. consec. 5. Unde deducunt Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 38. num. 5. Azor lib. 12. instit. moral. 3. part. cap. 15. quest. 1. hanc suspensionem etiam incurrere eum, qui extraneo sibi constituenti patrimonium ad suscipiendos sacros ordines, promittit se nihil unquam petiturum. Sed contrarium, immo in hoc pacto restituendi patrimonium, aut non petendi ab eo, qui illud ad ordines suscipiendos constituerat, nullam committi simoniam, nec per consequens suspensionem incurrere, docuerunt Nanarrus ad titul. de temporibus ordin. consil. 17. Toletus lib. 1. summa, cap. 48. num. 6. Castropalao tract. 17. oper. moral. disput. 3. punct. 3. num. 2. Garcia 2. part. de benefic. cap. 5. num. 165. Diana part. 2. tract. 2. resol. 5. Barb. de potest. Episcopi alleg. 20. num. 29. alii congesti à Gibalino dict. consec. 5. quia ista constitutio patrimonii non est aliquid spirituale, nec vera presentatio ad sacros ordines, ut que in hoc textu precessit; unde non potuit committi simonia, & per consequens nec incurri suspensio, de qua in hoc textu.

CAPUT XXXVII.

^a Idem.

CONSULERE. Et infra: Quicumque ^b vicedominatum, vel aliam ecclesiasticam administrationem per pecuniam administrare voluerint, tam ementes, quam vendentes cum Simone magno percelluntur, & ab illa Ecclesia, in cuius contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerint, justè excluduntur.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. a **I**dem) Ita etiam legitur in quarta collectio-
ne, sub hoc titulo, cap. 2. nullibi tamen exprimi-
tur cui rescribat Innocentius, nec inter ejus
epistolas hucusque excusatus hic reperitur.
b **Vicedominatus.**) Vicedominus accipitur
in jure canonico pro ea persona, quam constituit
Episcopus pro hospitibus recipiendis, & eleemo-
sinarum distribuendis, aliisque rebus Ecclesie
peragendis, quem si Episcopus non designabat,
olim Clerus eligebat, cap. volumus, cap. Diaconi,
89. dist. & aliquando jurisdictionem exercebat,
ut constat ex lib. 3. Capituli Caroli, cap. 26. ibi:
Mandet Comes, vel Abbat, vel Vicedomino, vel illi
quicumque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, ut
reddat ei reum. Notavit Filescus in cap. 4. §. 5. de
offic. Ordin. & plura congeserunt P. Gregorius
in 9. cap. §. & de ecclesiast. hierach. quest. 2. proem.
§. 5, num. 13. & nos supra in cap. 1. de calum-
niat.

COMMENTARIUM.

3. **C**ertum est, per sacros canones prohiberi
venditionem, seu quamlibet alienationem
officiorum Ecclesie, ut in canone 2. Concilii

Chalcedon. cap. Salvator, 1. quest. 3. & in tali ven-
ditiōe non committi simoniam contra jus divi-
num, aut naturale, omnes etiam fatentur, ut
probat Victoria in relect. de simon. cap. 16. & 17.
Circa jus ecclesiasticum communis opinio est,
simoniam in tali venditione committi, à jure cano-
nico prohibitam, dict. cap. Salvator, extravag. 2.
hoc titulo. ibi: Officiis ecclesiasticis, & quibuslibet
beneficiis. Ita cum aliis docuerunt Suarez lib. 4. de
simonia, cap. 29. num. 8. Sed noviter Gibalinus,
qui nullam veram simoniam agnoscit, ex solo ju-
re positivo asserit in venditione horum officio-
rum committi peccatum turpis lucri, & questus,
quod in propria loquutione simonia dicitur. Ita
docet Gibalinus d. quest. 20. conclus. 13. & quest. 23.
conclus. 7. Sed cum diversitas hæc opinionum tan-
tum consistat in proprietate, vel impropriate si-
monia, parum in his refellendis, vel conciliandis,
dixi inharendum, cum expressè in hoc textu,
& in dict. cap. Salvator, ut simoniaca improbe-
tur talis venditio. Illud omittendum non est,
quod cum hæc prohibitio sit tantum juris positi-
vi, poterit contraria consuetudine introduci hu-
jusmodi venditio, ut pluribus in Ecclesiis inval-
uit circa venditionem officii Janitoris, vulgò
Pertigero, & similia.

CAPVT XXXVIII.

Idem. a in Concilio Later.

Sicut pro certo didicimus, in plerisque locis, à plerisque personis quasi columbas
in templo vendentibus fiunt exactiones, & extorsiones turpes, & pravæ
pro b consecrationibus Episcoporum, c benedictionibus Abbatum, & ordinibus
clericorum: estque taxatum, quantum sit isti, vel illi, quantumve alteri, vel alii per-
solvendum: & ad cumulum damnationis maioris, quidam turpitudinem & pravita-
tem hujusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore observa-
tam. Tantum igitur abolere volentes ab usum, d consuetudinem hujusmodi, quæ
magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus, summiter statuentes, ut pro his,
sive conferendis, sive e collatis, nemo aliquid quoquam prætextu exigere, aut
extorquere præsumat: alioquin & qui receperit, & qui dederit hujusmodi pretium
omnino damnatum, cum Giezi, & Simone condemnentur.

NOTÆ.

1. a **L**ateranensi.) Generali videlicet celebrato
sub Innocent. III. ubi cap. 64. reperitur
textus hic, & canonem hunc confirmavit Ho-
nor. III. in cap. 2. hoc titulo. 5. collect. ubi ita scribit:
Cupiditati quorundam, qui quasi columbas in tem-
plo vendentes, facere solent exactiones, & extorsiones
turpes, & pravas pro consecrationibus Episcoporum,
benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clerico-
rum, pravitatem hujusmodi intendendo defendere per
consuetudinem longo tempore observatam, tam in
Lateranensi, quam in generali Concilio fuit salubriter
obviatum, consuetudine hujusmodi, que corruptela
magis dicenda est, penitus reprobata, & statuta, ut ne-
mo pro his, sive conferendis, sive collatis, aliquid quo-
cumque prætextu exigere, aut extorquere præsumat.
Nos igitur utriusque Concilii constitutionibus inharen-

tes, auctoritate præsentium firmiter inhibemus, ne quis
pro benedictione, sive installatione Abbatum, qui ad mo-
nasterii vestri regimen fuerint assumendi, præsumat
aliquid à vobis exigere, aut prætextu cujusquam con-
suetudinis extorquere: vobis nihilominus indulgentes,
ne quid inviti ob causas dare teneamini supra dictas.

b **Consecrationibus.**) De quibus egi in cap. 1.
hoc titulo.

c **Benedictionibus.**) De quibus agemus infra in
cap. ne Dei Ecclesia.

d **Consuetudinem.**) Textum hunc exposui, &
commentarium dedi supra in cap. ad nostram.

e **Collatis.**) Dummodo quæ postea dantur,
non gratuito dentur; nam gratuitam donatio-
nem approbavit Gregorius in cap. 1. hoc titulo. ubi
notavi.

CAPVT XXXIX.

Idem in^a eodem.

Quoniam simoniaca labes plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, ^b paupertatis prae-textu volentes huiusmodi vitium palliare; ne id de cetero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quicumque de cetero talem commiserit pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive praelata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulae ad agendam perpetuam poenitentiam retrudenda. De his autem, quae ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptae, ita duximus providendum, ut remotae de monasteriis, quae perperam sunt ingressae, in aliis locis eiusdem Ordinis collocentur. Quod si forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari, ne damnabiliter in saeculo vagentur, recipiantur in eisdem monasteriis dispensativè de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa monachos, vel alios regulares decernimus observandum. Verùm ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, praecipimus, ut dioecessani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas dioec. publicari.

NOTÆ.

1. ^a *Odem.*) Lateranensi videlicet generali, ubi *cap. 65.* reperitur textus hic, nec non in quarta collectione, *sub hoc titul. cap. 4.*
 2. ^b *Paupertatis prae-textu.*) Et ita paupertas erat affectata, non vera; nam si vera esset, pro sustentatione ipsius aliquid monasterium exigere valebat, ut probavi in *cap. veniens, hoc titul.* ubi commentarium dedi.

^c *Perpetuam poenitentiam.*) Quae detrusio propria fuit clericorum, & monachorum, ut probat Gibalinus de *clausur. regul. disput. 3. cap. 2.* & de ea nonnulla adduxi in *cap. 1. de regul.*

CAPVT XL.

Idem in eodem.

Avdivimus de quibusdam Episcopis, quod decedentibus Ecclesiarum Rectoribus ipsas interdictione ^b subijciunt, nec patiuntur alios in eisdem ^c institui, donec ipsis certa summa pecuniae ^d persolvatur. Præterea cum ^e miles, aut clericus domum Religionis ^f ingreditur, aut apud Religiosos eligit sepulturam, etiam si nihil religioso loco reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cum igitur non solum à malo, sed etiam ab omni specie mali sit secundum ^g Apostolum abstinendum, exactioes huiusmodi penitus inhibemus: quod si quis transgressor extiterit, exacta ^h duplicata restituat, in utilitates locorum, in quorum fuerint dispendium soluta, fideliter convertenda.

NOTÆ.

1. ^a *Odem.*) Lateranensi videlicet generali sub Innocentio III. ubi *cap. 66.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc titul. cap. 5.*
 2. ^b *Subijciunt.*) Quod facere non poterant, tum quia pro causa civili non debet Ecclesia interdictione subijci, *cap. 3. de poenis:* tum ne impediatur Sacramentorum administratio.
^c *Institui.*) Aut per se, aut corporaliter per Archidiaconum, ut in *cap. ex frequentibus, de institut.* diximus.
^d *Persolvantur.*) Contra tradita supra in *cap. cum in Ecclesia.*
^e *Miles, aut clericus.*) De milite ideo in praesenti specialiter agitur, quia militibus olim prohibitum erat monasterium ingredi, nisi prius probata eorum vita fuisset ab Episcopo, *cap. legem, § 3. dist.* De clerico etiam, quia Episcopo videbatur bona ab eo intuitu Ecclesiae acquisita esse illi relinquenda prius quam vitam monasticam profiteretur, *cap. 1. 18. quest. 1.*
^f *Ingreditur.*) Similem abusum in Parocho improbavit Honorius III. in *cap. 2. de regul. in §. compil.*
^g *Apostolum.*) 1. ad Thessalon. *cap. 5.*
^h *Duplicata.*) Sed tunc obstat textus in *cap. de hoc, hoc titul.* ubi tantum pretium simoniace acceptum restituitur absq; alio simplio: ergo non rectè in praesenti duplicatum pretium restitui jubetur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est cum Binsfeldio in praesenti, textum in dicto *cap. de hoc jure,* & similes procedere, quando ex mutua conventionione dantis, & accipientis pretium simoniace intercessit; in praesenti verò textu agitur, quando non ex voluntate dantis pretium, sed à superiore per extorsionem, & concussionem exactum fuit, quia tunc in poenam similis extorsionis duplicatum pretium restituitur.

Te illi relinquenda prius quam vitam monasticam profiteretur, *cap. 1. 18. quest. 1.*

^f *Ingreditur.*) Similem abusum in Parocho improbavit Honorius III. in *cap. 2. de regul. in §. compil.*

^g *Apostolum.*) 1. ad Thessalon. *cap. 5.*

^h *Duplicata.*) Sed tunc obstat textus in *cap. de hoc, hoc titul.* ubi tantum pretium simoniace acceptum restituitur absq; alio simplio: ergo non rectè in praesenti duplicatum pretium restitui jubetur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est cum Binsfeldio in praesenti, textum in dicto *cap. de hoc jure,* & similes procedere, quando ex mutua conventionione dantis, & accipientis pretium simoniace intercessit; in praesenti verò textu agitur, quando non ex voluntate dantis pretium, sed à superiore per extorsionem, & concussionem exactum fuit, quia tunc in poenam similis extorsionis duplicatum pretium restituitur.

CAPUT

CAPVT XLII.

Idem in ^a eodem.

AD Ap. n. aud. frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro ^b exequiis mortuorum, & ^c benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent; & si fortè eorum cupiditati nō fuerit satisfactū, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt: è contra verò, quod laici laudabilem consuetudinem erga sanctā Ecclesiam piā devotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ pravitate nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter has pravas exactiōnes fieri prohibemus, & piās ^d consuetudines præcipimus observari, statuentes, ut liberè conferantur ecclesiastica ^e sacramenta: sed per Episcopum loci, veritate cognitā, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

NOTÆ.

1. ^a *Odem.*) Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *cap. 67.* reperiuntur verba in præfenti relata, & in quarta collectiōne, sub hoc titulo. *cap. 6.*
^b *Exequiis mortuorum.*) De quibus egi in *cap. suam, hoc titulo.* ubi commentarium hujus partis dedi.
^c *Benedictionibus.*) De quibus plura adduxi in *cap. 1. de secund. nupt.*
^d *Piās consuetudines.*) Hæc verba exposui præfati in *cap. cum in Ecclesia.*
 2. ^e *Sacramenta.*) Si referas ad exequias mortuorum, & benedictiones nuptiarum, de quibus proximè egerant Patres, dictio *sacramenta*, po-

nitur pro sacramentalibus, ut jam notavi in *d. cap. cum in Ecclesia.* Si verò accipias pro aliis Sacramentis, verum est pro nullo ex eis pecuniam exigi posse, ut de Baptismo cavetur in *can. 48. Concilii Illiber.* ibi: *Emendari placuit, ut qui baptizantur, nummos in choncam non mittant,* ubi notavi, *de confirmat.* probavi in *cap. ea 15. hoc titulo.* de Pœnitentia in *cap. nemo, hoc titulo.* de Eucharistia in *can. 23, 6. Synodi,* relato in *cap. nullus 1. q. 1. ibi: Ut nullus, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, immaculatam præbens communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratiā obolos, vel quamvis aliam speciem exigat.* De Ordine in *cap. 1. hoc titulo.* de Matrimonio in *cap. suam, hoc titulo.* & latè docent Ugolinus, Redoanus, & Gibalinus in *tract. de simon.*

CAPVT XLIII.

Univerſis Abbatibus, & Fratrib. ^a Cisterciens. Ordinis.

NE Dei Ecclesiam, quam lavit proprio sanguine Iesus Christus, macula fœditatis coinquinet, ruga duplicitatis deformet, cupiditatis spurcicia, omnium maiorum radix, & venalitatis deformitas, quasi ruga sub consuetudinis prætextu contracta, eliminandæ sunt penitus ab eadem, ut dispensatio misteriorum Dei, & ipsa mysteria gratis accepta, Giezticâ pravitate prorsus abolitâ, charitate gratuitâ conferantur, quæ vendere, seu emere, quàm detestabile, quamve periculosum existat, liquidò perpendi potest ex eo, quod Dominus vendentes, & ementes oves, & boves eiecit de templo, & cathedras vendentium columbas evertit. In ejectione deniq; vendentium, & ementium facinoris inquinantis utrumque exprimitur detestatio, & in cathedrarum eversione monstratur, cui pœnæ subiaceant hi, qui præfunt, vendentes Dei dona, & Ecclesiæ sacramenta. Ut igitur hujusmodi facinus, quod quos coinquinat, æquat, Prælatos, & subditos non possit inficere quoquo modo, auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibemus, ne quis Archiepiscopus, vel Episcopus, Archidiaconi, vel ^b Officiales ipsorum à quoquam in Abbatem electo, pro ^c benedictione, seu ^d installatione, vel recipienda professione ab eo, sub consuetudinis prætextu cujusquam ^e palefridum, seu aliud quidquam, quocunque nomine censeatur, exigere, vel extorquere præsumant, vobisque sub prætextu hujusmodi exacta taliter ne præsteris interdiciamus, cum non solum à malo, sed à mali sit specie abstinendum. Installationis quoque solennitates fieri prohibentes adjicimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi ea sint ^f forma professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis noscitur instituta, cujus tenorem ad majorem evidentiam huic nostræ pagine duximus inferendum: Ego frater Abbas Cisterciensis Ordinis, subjectionem, reverentiam, & obedientiam à sanctis Patribus constitutam secundum regulam

sancti Benedicti, tibi Domine Episcopo, tuisque successoribus canonicè substituentibus, & sanctæ Sedi, salvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.

NOTÆ.

I.

a Cisterciensis.) Ita restituo inscriptionem, & litteram hujus textus ex quinta collectione Honorii III. edita à Cironio, ubi *sub hoc titul. cap. 1.* reperitur textus hic: ex Manriqueque *tom. 4. annal. Cisterc. anno 1224. cap. 5.* ubi hujus textus historiam, & litteram refert: cum enim temporibus Honorii III. Episcopi, Archidiaconique renuerent Abbates Cisterciensis Ordinis installare, nisi prius equum sibi darent, nec non in obedientia à prædictis Abbatibus præstanda, verba illa, *salvo Ordine suo*, esse rejicienda intenderent, cum inutilis quodammodo redderetur promissio obedientiæ, conquestrus fuit Jacobus Abbas Cisterc. de prædictis duobus excessibus coram Honorio, qui ut hæc nova gravamina à monachis Cisterciensis tollerent, præsentem edidit constitutionem, & similem circa ordinem Præmonstratensium edidit Innoc. III. *lib. 1. epist. in edit. Colonia. fol. 92.* in hæc verba: *Significavit nobis dilecti filii N. Abbas, & Fratres Præmonstraten. quod cum dilectus filius Hugo de Petraponte Archidiaconus Landunen in promotione ipsius Abbatis palefridum ab eo obtentu cuiusdam prave consuetudinis exegisset, quia super hoc ei acquiescere recusavit, conversum quemdam ipsius de equitatura, cui in sedebat, deponere, & eam secum adducere per violentiam non expavit. Unde nos eidem Archidiacono per litteras nostras mandavimus, ut similia de cetero non presumat, immò de hoc ipso eidem Abbati satisfactionem exhibeat competentem. Ideoque discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Archidiaconus ea, que præmissa sunt, adimplere noluerit, tam eum, quam alios, qui pro benedicendis, instalendis, vel deducendis ad Sedem, tam Abbatibus, quam aliis ecclesiasticis personis, palefridum, vel aliud exigere, vel extorquere presumpserint in posterum, vel hætenus presumpserunt, nisi ad commonitionem vestram à sua presumptione desierint, & de perceptis taliter satisfecerint competenter, excommunicationis censurâ, appellatione postpositâ percellatis: & sicut excommunicatos faciatis ab omnibus archibus evitari. Quod si non omnes duo vestrum, &c. Datum Roma, &c. IV Idus Maii. Et Abbati sancti Maglorii Parisiens. *lib. 3. regestr. 14. epist. 143.* super eadem re ita referibit: Cum ex injuncto nobis Apostolatus officio Ecclesiarum omnium sollicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet, que interdum contra sacrorum canonum sanctiones in eis per ipsarum ministrorum improvide attentantur. Sanè ad audientiam nostram vobis referentibus est delatum, quod cum Abbatem vestrum contigit de novo in sede, prout moris est, collocari, Archidiaconus Parisiens. pro installatione ipsius centum solidos Parisiens. Monete à vobis nititur extorquere: hujusmodi exactionem in jus annuatim convertendo. Quia igitur talis exactio est rationi contraria, & Sanctorum Patrum institutionibus inimica, ne id de cetero attentetur, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo, &c. usque nostra inhibitionis infringere, &c. Datum Later. III. Non. Octob. Pont. N. anno XIV. De Ordine Cisterc. nonnulla adduximus in *cap. 6. de rescript.**

b Officiales.) Id est vicarii, ut probavi in *cap. 1. de offic. vicar.*

c Benedictione.) De qua egi in *cap. 1. de sup. plend.*

d Installatione.) Stallus est locus cuiusque clericici, aut religiosi in choro. *Cæsar lib. 1. histor. memorab. cap. 6.* ibi: *Intravit chorum stante Priore in stallis suis. Et lib. 5. cap. 5.* In nocte vero sancti Cuniberti, cum staret in choro Abbatibus, tunc simplex monachus vidit intra Presbyterium duos demones intrare, & paulatim ascendere ad stallum Abbatis. Et paulo post: *Dominus Eustachius, & Prior Hermannus, qui hæc videre à stallis suis semori.* *Matthæus Parisius in Henrico III. ad annum 1056. ibi: Clanculo intrantes inquisiverunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani.* Et in vita Joannis XXIII. Abbatis sancti Albani: *Consueverat namque in duplicibus festis chorum miratus tenere, & reliquis diebus in stallis suis stans chorum regere, & omnia alacriter cantare.* *Innoc. III. lib. 4. epist. 1.* ibi: *Ipse ante confirmationem obtentam stallum Præpositi sibi usurpavit.* Illustrant *Vossius de vit. serm. lib. 2. cap. 17.* *Zerda in adversar. cap. 44.* & notavimus in *cap. eam te 7. de rescript.* Unde installare accipitur pro ponere in sede, & corporaliter investire, seu in professionem mittere, que installatio inthronizatio dicitur à Justiniano in *novell. 123. cap. 3.*

e Palefridum.) Idem de Præmonstratensibus cavuit *Innocent. III. lib. 1. epist. 198. & 328.* *Palfredus, Palefredus, & Pelefridus corrupta sunt ex Paraveredis, & ita à Paraveredis Palefredum deduci docuit Cuiac. ad titul. C. de cursu publico.* Veredarii erant equi minores, qui cursui publico destinabantur, & velociores. Paraveredarii vero erant equi majores, & agminales, *leg. ult. Cod. de cursu publico, leg. 50. Cod. Theodos. cod. titul. de his veredis & veredariis,* qui eis infidebant, agitur *cap. 8. Ethier, ibi: Egredi sunt veredarii celeres nuntios præferentes.* *Cassiodorus lib. 5. epist. 11. ibi: Si possessores Paraveredorum à solitudine suggerunt esse fatigatos, ut equorum nimio cursu ardeantur.* *Aufonius ad Paulinum.*

Vel celerem manum, vel ruptum terga veredum Confendas, propera, dummodo jam venias.

Martialis lib. 14. e. pig. 86.

Stragula succinchi venator summe veredi. Plura de his *Salmut. ad Pancirolam lib. 2. memorab. cap. 16.* *Bulengerus lib. 3. de Imper. cap. 20. & 21.* *Lipsius lib. 2. de malitia, dialog. 12. & lib. 3. dialog. 7.* ab his Paraveredis dictos fuisse equos Palefredos, quos nos vulgò dicimus Palefrenes, docuit *Cironius in presenti,* quæ voce usi sunt *Willelmus Tyrius lib. 13. belli sacri, cap. 27.* Miserat prædicto nobili viro per quemdam familiarem suum palefredum albisimum, argento ferratum, freno, & ceteris argenteis faleris redimitum, ex ameto coopertum albisimo, ut in omnibus candor niveus consonaret. *Radericus Frisingensis lib. 3. cap. 26.* Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido, sine scuto, & armis, si quis eum laeserit, pacis violator iudicabitur. *Cæsar lib. 12. miracul. cap. 12.* Hic cum die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum, servum suum ad diversa loca misit ad investigandum illum. *Matthæus Parisius anno 1190. ibi: Cepit de singulis civitatibus* *Anglia*

Anglicæ duos palefridos, & totidem sumarios. Et alii
relati à Vossio de vitis serm. lib. 3. cap. 31. Linden-
brog. in Glossario, verbo Palafredus, Bosqueto ad
Innoc. III. lib. 2. epist. 42.

(*f. Forma professionis.*) Reverentiam Episcopo
debent omnes Abbates ipsius diocesis: & ideo
vel ante, vel post benedictionem eam præstare
debent. Concil. Emerit. can. 11. olim fiebat char-
ta ipsa professionis super altare imposita. Innoc.
III. lib. 1. registr. 3. epist. 57. ibi: Professione
hujusmodi super altari oblatâ. Gofridus Vindocin.
opuscul. 10. ibi: Est à lingua (scilicet simonia)
cum publicè recitatur illa promissio: sit à manu,
quando charta, quâ continetur scripta, ponitur su-
per altare. Juxta veterem morem, quem illustravi
in cap. 2. de consuet. Sed circa modum præstandi
ipsam professionem Episcopum varios excessus
committēbant, dum majorem obedientiam cum
aliis sibi jure non debitis exigebant, ut conque-
ritur Gofridus Vindocinensis epist. 205. his ver-
bis: Sunt quidam Episcopi, qui pro benedictionibus
Abbatum sub nomine professionis ab eis exigunt, quod
est Christianæ professioni valde contrarium. Nam cum
professio alia in divina laude sit, alia pro peccatorum
depositione: ista Dei laudem non facit, sed minuit;
nec deponit peccata, sed apponit. Nec sacra fidei pro-
fessio recto nomine dicitur, sed execranda promif-
sio, quæ claves Ecclesiæ agitare, & unicum, ac sin-
gulare eius ostium violare conatur. Ita neque verita-
te, neque auctoritate inventa, sed consuetudine, &
hominum cupiditate reperta, triplici genere simonia
contra sanctam Ecclesiam jaculatur; quoniam simo-
nia à lingua, simonia à manu, simonia ab obsequio
ibi committitur. Est à lingua, cum publicè recita-
tur illa promissio: sit à manu, quando charta, quâ
continetur scripta, ponitur super altare. sit ab obse-
quio, cum ipsum malè promissum subjectionis ob-
sequium servatur. Qui sic agit, forsitan dicit: Pro
benedictione non quero pecuniam. Inmò satis am-
plus exigit, quia hominis personam. Sicut anima
plus est, quam corpus, ita corpus simul, & anima,
tota videlicet hominis persona, multo plus est, quam
eius pecunia. Divina lege & manifesta ratione pro-

batur, quia benedictio minimè datur gratis, quam præ-
cedit abbatis illa proscriptio, ut quod desiderat, asse-
quatur. Non enim faceret illam, si repulsam non pate-
retur. Illud etiam quod bonum est, sit perniciosum, cum
promittitur, nam bene, vel male suscipitur. Nam pe-
cunia, quam Simon Magus obtulit Petro, bona quidem
erat, sed quia malè obtulit illam, damnatus à Petro
predicatur; & ideo nec evangelica, nec canonica, sed
navicularia est illa, quæ dicitur benedictio, quam, quæ
falso nomine vocatur professio, præcedit, sive subsequi-
tur. Ibi venditur simul & emitur primum Ecclesiæ
sacramentum. Christus etenim primus hoc sacramen-
tum per semetipsum fecit, consecrationem scilicet Ap-
ostolorum. Et paulò post sequitur: Caveant igitur
Episcopi, & Abbates, quidam dicuntur Christi vi-
carii, quoniam Christi creduntur agere vices, ne contra
Christi auctoritatem, qui gratis tribuit, & ejus vocem,
qui gratis dari monet & præcipit, cupiditatem sibi con-
suetudinem sequantur, quâ fides, Ecclesiæ libertas, &
castitas simul corrumpitur. Non mediocriter utique
delinquit Episcopus, nisi gratis dederit; & Abbas, nisi
gratis acceperit, similiter peccat, quia facientem, &
obsequentem par pena constringit; & facinus, quos in-
quinat, æquat. Refert Juretus in notis ad epist. 195.
Carnotensis. Quare Honorius III. in præsentem
præscribit formam sub quâ Abbates Cisterciensis
Ordinis professionem Episcopis suis facere
debeant. Et Abbates exempti benedictionem
quidem ab Episcopo suo recipere debebant, non
tamen ei professionem obedientiæ facere; nam
professio, quam Ivo Carnotensis exegerat à Go-
frido Abbate Vindocinensi inter ordinationis
eius solennia, cassata fuit ab Urbano II. ut scri-
bit idem Gofridus lib. 2. epist. 25. Unde constat,
præsentem Honorii constitutionem compilatam
fuisse ab hoc titulo, non solum quia ex simoniaca
pravitate Archidiaconi palefridum ab Abbati-
bus pro eorum installatione extorquebant; ve-
rùm & quia Episcopi simoniam committēbant
exigendo ab eis majorem obedientiam, quam de
jure præstare tenebantur: quo casu simoniam
committi, notavimus supra in cap. ex diligent.

CAP V T XLIII.

Gregorius IX. Priori Sancti Thomæ^a Esculanen.

Jacobus canonicus Esculan. exposuit, quod cum ipse in Ecclesia^b Aptutin. sit
receptus in Canonicum, & in fratrem, Canonici ejusdem Ecclesiæ partem pro-
ventuum, ac præbendam sibi assignare recusant, quandam consuetudinem præten-
dentes, quod prandium habere debeant à Canonico recepto de novo. Quocirca
mandamus, quatenus si est ita, dictos Canonicos, ut tali consuetudine non obtan-
tesibi sicut uni ex aliis in proventibus & præbenda provideant, appellatione remo-
tâ compellas.

NOTÆ.

^a Esculan.) Seu Aesculan. nam Aesculanum,
& seu Esculum dicitur civitas Italiæ, de qua,
& ejus diocesi egimus in cap. 8. de cleric. vel mo-
nach.

^b Aptutin.) Interamna civitas est Italiæ in Pi-
cenatibus posita, quam hodiè vulgò Teramum
dicimus, iecus fauces Tordini fluminis; quæ
cum à tribus fluminibus alluatur, Interamna no-
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

men invenit, quasi inter tres amnes sita: quod
ipsum nomen vulgus etiam, sed corruptè reti-
nuit. Est caput totius Aprutinae provinciæ.
Quare ipsius Præsul non Interamnia, sed Apru-
tinentis denominatur Episcopus, qui nullus
Metropolitani reveretur arbitrium, sed tantum
Romani Pontificis proximè fauces adorat, ut
tradit alia congerens de ipsius diocesis origine,
& Præsulibus Vghellius tom. 1. ital. sacra, fol.
388.

L2 COM.

COMMENTARIUM.

2.

Inter alias consuetudines simoniacam labem redolentes, præcipua fuit olim consuetudo præstandi convivia pro electionibus, & consecrationibus Episcoporum, seu similibus Prælatorum; quam redarguit Sidonius *lib. 4. epist. 25.* & graviter reprehendunt PP. Synodi Carthag. *3. can. 42. ibi: Conviviis sibi conciliantes plebem, ut per suam maligno, & illicito eosdem velint collocare Rectores.* Extant hujus moris vestigia apud Gregor. Turon. *de vitis Patrum cap. 6.* dum refert, quod cum Arverni ad Theodoricum Regem munera ferentes Episcopum ab eo expedituri venissent, Rex ipsis redire iussis, sanctum Gallum Episcopum futurum eis destinavit, iussitque ut ordinaretur in Presbyterum, & datis de publico expensis, cives invitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli Episcopi. Quod cum ita factum esset, is referre solitus erat, se non amplius donasse pro Episcopatu, quam unum orientem coquo, qui id prandium paraverat. Et apud Suriun *die 18. Julii, in vita sancti Friderici Trajectensis Episcopi,* refertur de eo, quod die, quo in Antistitem inauguratus fuit, celebre convivium omni Clero, Nobilibus, item & ignobilibus à Ludovico Pio datum fuit. Similem morem in noviter ordinatis Concil. Palentinum improbat *titul. de simonia,* his verbis: *Quorundam clericorum, & laicorum abusum, qui clericos de novo*

promotos non permittunt in suis ordinibus ministrare prius quam eis adhibeant per unum, aut plures dies prandia, & convivia sumptuosa, vel certam præparent quantitatem pecunie, extirpare volentes, statim, ut cum clericis, qui ad titulum alicujus Ecclesie ad Subdiaconatus, Diaconatus, aut Presbyteratus ordines sunt promoti, noviter celebrari voluerint, ut clerici illius Ecclesie eos libere admittant, & eis ad celebrandum ministrent Ecclesie paramenta, celebrationum ipsorum charitative, & amabiliter assistentes: eisdem etiam secundum quod ordo ipsorum exegerit, portionem integraliter conferant, & assignent. Et consuetudinem accipiendi scyphum à novo Canonico improbavit Honorius III. cujus verba dedimus supra in *cap. sicut 39.* quæ prandia simoniæ notam, ac criminationem continent, si largitione ista eligentium suffragia ambiuntur, hominum voluntates conciliantur, & suffragia quaruntur, cum virtute, non pecuniâ; litteris, non pretio, dignitates ecclesiasticæ promerendæ sint. Sic Cato Uticensis apud Ciceronem *in oratione pro Murena,* ex Stoicorum sententia negavit licere Magistratui candidato conviviis, aliisque oblectamentis populum inescare. Quare rectè Gregorius IX. in præfenti talem consuetudinem, ut simoniacam labem redolentem condemnavit: quam etiam in prandis præstandis ab ingredientibus monasterium condemnavit: Urbanus V. *in extravag. Sanè, hoc titul. inter communes. No. Hallierius de sacris elect. sect. 7. cap. 2. art. 2. s. 2.*

CAPUT XLIV.

a Idem.

SI quis ordinaverit, seu ad ordinem præsentaverit aliquem, promissionem, vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.

NOTÆ.

i.

a **I**dem.) Gregorius videlicet IX. qui in præfenti non solum confirmat Innocenti constitutionem relatum in *cap. per tuas, cl. 3. hoc titul.* verum & augeat, ita ut non solum præsentator, de quo agebatur in *dit. cap. per tuas;* verum & ordinatus, qui cum Episcopo pactum fecit de non petendis ab alio alimentis, quæ ex juris dispositione Episcopus illi sine titulo ordinato præstare tenetur, ex traditis in *cap. 4. de præbend.*

suspensionem incurrat, & similiter ordinator per triennium ab ordinum collatione suspenditur, à qua suspensione nec ordinatum excusat ignorantia, nisi fuerit invincibilis, & inculpabilis, ut docent Suarez *de censur. disput. 31. sect. 1. num. 33.* Hurtado in *disp. de suspensione, difficult. 13. num. 37.* Coninch & Castropalao, quos sequitur Gibalinus *de censur. in synopsi, littera O. num. 11.* Rationem hujus decisionis assignavimus in *d. cap. per tuas.*

CAPUT XLV.

a Idem.

Mandato nostro recepto, ut cum monachis, qui per simoniam dato aliquo loco in monasteriis sunt adepti, secundum constitutionem Generalis ^b Concilii dispensares. *Et infra:* Consult. t. breviter respondentes dicimus, mandarum Apostolicum, etiam ad ^c Abbates extendi, & resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrimque, taliter acquiruntur (in quo

quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori,) eos pro simonia huiusmodi non teneri.

NOTÆ.

^a *Idem.*) Gregorius IX. videlicet: cui autem Prælato rescribat, non constat; & cum ejus epistolis carcamus, agnoscere non possumus de quo monasterio in præfenti agatur.

^b *Concilii.*) Relati supra in *cap. quoniam*, ubi de simonia admittitur in ingressu Religionis egimus.

^c *Abbat.*) Quia in favorabilibus, & materia proportionabili Abbas comprehenditur appellatione monachorum, nisi aliud ex loquentis mente conjiciatur, ut probant Sanchez *tom. 2. summa, lib. 6. cap. 8. num. 84.* Valenzuela *conf. 74. num. 79.* quia Abbas per promotionem ad Abbatiam non desinit esse monachus, nec per ipsius dignitatis assequutionem debent esse peioris conditionis, quam sunt ceteri monachi, cum dignitatis proprium sit augere statum, non verò illum in deterius mutare, ut docent Tamburinus *tom. 1. de jure Abbat. disput. 16. quest. 3.*

COMMENTARIUM.

² Simonia communiter dividitur à Doctoribus in mentalem, conventionalem, & realem, ut explicant Navarrus in *manuali, cap. 23. num. 103.* Cajetanus, Sylvester, & ceteri Summistæ verbo *simonia*, Redoanus de *simonia*, 1. p. Aragon. ad *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. D. Joannes Vela de penis & delictis, cap. 32. vers. Est enim*, Tiberius Decianus *tom. 1. tract. crimin. lib. 5. cap. 82.* Gibalinus de *simonia q. 1. num. 2.* De prima in præfenti agendum est. Et quidem simonia mentalis non dicitur ea, quæ solâ voluntate, aut proposito committendi simoniam perficitur, sicut voluntas fornicandi, aut furandi solet dici mentalis fornicatio, aut furtum; nam omnis simonia debet continere externum aliquem actum, aliquamque dationem, seu acceptationem per modum pactionis, ut constat ex definitione, quam illustravimus supra in *cap. 1.* Mentalis ergo simonia est datio, vel acceptio spiritualis pro temporali, tanquam pretio, absque ullo pacto tacito, vel expresso, ita ut ea prava intèntio datis, vel accipientis, neque ex ipso opere externo, nec ex ejus circumstantiis ullo modo se prodatur, cum opus ipsum sit aliquid indifferens, & possit bono, aut pravo animo fieri, accipiatque totam suam turpitudinem ex intentione simoniaca, ut contingit in aliis actibus indifferentibus, qui à solâ intentione peculiarem malitiam sortiuntur, ut contingit in eo, qui accipit stipendium pro dicenda Missa, tanquam ipsius pretium: qui dat rem spirituales, ut accipiat aliquid temporale in ejus compensationem, est simoniacus mentalis. Et hæc simonia nonnunquam datur ex parte dantis tantum, aliquando solum ex parte accipientis, plerumque autem ex parte utriusque, cum videlicet uterque eam pravam intentionem habet nullo pacto inito. Simonia mentalis exemplum extat in *c. tua nos, de simonia*, ubi clericus, qui dedit bona sua ut reciperetur in Canonicum absque ullo pacto, eâ tamen intentione, ut per bona temporalia spirituale officium asse-

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V,*

queretur, apud districtum judicem culpabilis judicatur.

³ Quibus suppositis, ut ad præsentem textum accedamus, sciendum est, valde controversum esse, an simoniacus hic mentalis teneatur ad restitutionem rei, seu pretii cum intentione simoniaca accepti; & eo casu teneri ad restitutionem, docuerunt Medina de *restit. cap. de usurarum restitutione*, Soto *lib. 9. de justitia, quest. 8. art. 2. in solut. ad 6.* Hadrianus *quodlibet 9.* Joannes Major in *4. dist. 25. quest. 1. art. 7.* Armachanus *lib. 10. cap. 23.* Henricus Gandavo *quodlib. 9. quest. 26.* moti ex textu in *cap. consuluit, de usur.* ubi docetur, usurarium mentalem ad restitutionem teneri. Igitur similiter & simoniacus mentalis. Deinde quia cum jure naturali, & divino simonia prohibita sit, eodem jure videtur prohibita domini translatio, ut probarunt Innocentius, & Hostiensis in *cap. tua nos, hoc titul.* & quando tam dare, quam accipere aliquid temporale est injustum, non potest sic acquisitum in foro conscientie retineri. Contraria tamen sententiam probant Sanctus Thomas *2. q. 100. art. 5. & 6.* Cajetanus in *summa de simonia*, Navarrus in *manuali, cap. 23. num. 103.* Palacios de *contract. lib. 2. cap. 9.* Redoanus de *simon. p. 4. cap. 8. num. 28.* Binsfeldius in *præfenti*, Gibalinus de *simon. quest. 23. consecr. 12.* pro quibus faciunt textus præfens, & in *cap. tua nos, hoc titul.* ibi: *Quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare* Et *l. 5. tit. 17. part. 1.* In qua opinio varietate dicendum est cum Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 59. num. 43.* Bonacina de *simon. quest. 7. punct. 2. difficult. 1. num. 23.* Gibalino de *simon. d. consecr. 12.* simoniacum mentalem non obligari ex solo jure ecclesiastico ad restitutionem, quia Ecclesia de his actibus occultis non judicat, *dict. cap. tua nos, cap. sicut, hoc titul.* Ex divino autem jure obligatur ad restitutionem pretii simoniacè accepti, quoties in eo fuit violata justitia commutativa, eodem profus modo, atque obligat simonia realis, quando præter sacrilegii pravitatem injustitiæ malitiam continet. Ratio perspicua est, quia æquè tunc in simonia mentali violatur justitia, atque in reali. Ergo æqualis est in utraque obligatio restituendi, siquidem unica ratio obligationis ad restitutionem est injustitia, & inæqualitas quæ reparanda est. Quamvis autem ea injustitia, occulta, aut manifesta sit; lateat in animo, aut exterius se prodatur; si tamen re ipsa committitur, & actu sit alteri injuria, interceditque inæqualitas, eadem ratione simoniacus mentalis ac expressus tenetur ex jure divino, & ex natura rei ad restitutionem; non tamen subiacet pœnis à jure positivo statutis.

⁴ Sed in inquirendo discrimine, quare videlicet usurarius mentalis teneatur ad restitutionem, *dict. cap. consuluit, de usuris*; non verò simoniacus, ex præfenti textu anxie laborant Doctores. Alii qui eam discriminis rationem esse ducunt, quia usura bene datur, & malè recipitur siquidem usuram dare peccatum non est, *cap. debitores, de jurejur.* usuram verò accipere omni jure prohibitum est, *cap. 1. & 2. de usur.* & ideo acceptum pretium ab usurario ex omni jure restituendum est, quia qui malè accepit ab eo, qui bene dat, tenetur ei restituere, *cap. non sanè, ubi Glossa 14.*

L 3 quest. 5.

⁴ Exponitur cap. consuluit, de usuris.

quest. 5. l. 2. ff. de cond. ob turp. at verò in simonia versatur turpitudine utriusque; ideo recipiens non tenetur ad restitutionem, quia in pari causa melior est conditio possidentis, l. 3. & 4. de cond. ob turp. caus. cap. in pari delicto, de regul. jur. lib. 6. Sed improbat, quia in usura facile succedit, utriusque turpitudinem esse; quando enim quis suadet non parato ad exercendas usuras; ut sibi mutuet ab usuris, uterque sane usurarius est, nec à restitutione excusatur; & in simonia sæpè contingit turpitudinem esse ex una tantum parte, quando Prælati liberaliter beneficium contulit simoniaco mentali. Rursus, quia in eo casu ex parte utriusque versatur turpitudine, licet quis non teneatur danti restituere; tenetur tamen pauperibus erogare, juxta regulam textus in cap. cum tu de usur. Florentin. 2. p. tit. 2. cap. 2. §. 1. Covarr. in regul. peccatum, 2. p. §. 2. num. 7. Quare item Navarr. num. 20. ex D. Thoma aliam rationem assignat, videlicet quod restitutio quasi per simoniam est pœna ecclesiastica, & Ecclesia non potest ob actus interiores pœnas constituere, cap. cognitionis, de pœnit. dist. 1. Sequitur Ugolinius de simon. tabul. 2. num. 3. Sed improbat, quia quando actus non remanet in terminis cognitionis, sed qualitercunque prodit foras, est in potestate Ecclesiæ: docet Glossa verbo *Eo ipso*, Clement. 1. §. verum, de heretic. quam sequuntur plurimi relati à Felician. de censib. lib. 1. cap. 5. num. 6. Gutierrez lib. 1. canonic. quest. 13. in princip. Covarr. ubi proxime, in initio num. 7. Nec verum est, institutionem esse pœnam Ecclesiæ, cum à principio impediatur dominii translationem, ut supra diximus, & infra patebit. Secundò quia nec usurarius mentalis ad restitutionem teneretur, contra textum in dict. cap. consultuit. Aliter P. Navarra de restit. lib. 3. cap. 2. Aragon. 2. 2. q. 100. art. 6. nec non Abbas Antiquus in dict. cap. consultuit, quem referunt Panormit. & Anania in presenti, discrimen assignant, videlicet quod usura mentalis jure divino prohibeatur, Luca cap. 6. *Mutuum dantes, nihil inde sperantes*. In simonia verò non sit prohibita spes aliquid recipiendi, nec talis intentio; quia tantum actualis simonia prohibetur: Matthæi cap. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Sed hæc differentia ratio meritò reprehenditur à Joanne Andrea in presenti, quia cum jure divino, & naturali simonia prohibita sit, etiam mentalis prohibita videtur, cum peccata oris, cordis, & operis ejusdem speciei sint, & eodem jure prohibeantur, ut pòst D. Thomam

& alios probat Navarrus in manuali, cap. 23. num. 101. Nec etiam placet discriminis ratio assignata à Cajetano 2. 2. quest. 100. art. 6. quem sequuntur Navarrus, & alii relati à F. Emanuele Rodriguez in summa 2. p. cap. 66. dum docet simoniacum mentalem non teneri ad restitutionem, quia quod illi datur, spontè datur, animo videlicet emendi, vel vendendi, argumento legis nec emere Cod. de jure delib. Usurarius autem mentalis tenetur ad restitutionem, quia quod illi datur, non sponte, sed ad redimendam potius vexationem datum censetur. Quam rationem improbat Sotus lib. 9. de justit. quest. 8. art. 1. ad 6. Instructorium conscientia 1. p. cap. 306. pag. 965. quia simoniacus etiam in virtus videtur dare pretium, siquidem mallet gratis beneficium, vel simile spirituale obtinere; & quasi necessitate cogente pretium dat, quia aliter non sperat id obtinere. Præterea cum recipientes pretium non alia causa recipiant, & apud eos stet, quam ex causa emptionis spiritualium, quæ nulla est ipso jure, nullo modo possunt illud retinere, & per consequens tenetur ad restitutionem. Quare his omnibus sententiis rejectis, Panormit. Anania, & Felinus in presenti, dixerunt Pontificem consulendum esse pro vera hujus discriminis ratione. Verum juxta sententiam supra adductam ex Suario, & Gibalino, facile difficultas hæc sedari potest; siquidem tam usurarius mentalis, quam simoniacus, tenentur ad restitutionem, si per usuram, vel simoniam violatur essentialiter justitia: quod semper contingit in usura, non verò in simonia; nam simonia in ingressu religionis, de qua in presenti agitur, nullam continet injustitiam, sed tantum sacrilegium, de quo per penitentiam Creatori satisfacere sufficit; & Ecclesia scelus illud animo retentum non punit, nec ejus ratione ad aliquam restitutionem obligat. Si verò simonia mentalis includat injustitiam, per eamque violatur justitia commutativa, simoniacus mentalis etiam ad restitutionem tenetur: atque ita illud discrimen versatur inter usuram, & simoniam mentalem, quòd usura mentalis semper continet injustitiam, & violat justitiam commutativam; simonia verò mentalis aliquando sacrilegium continet, non verò justitiam violat, ut in presenti textu docuit Gibalino ubi supra à consec. 12.